

[136a] Circa distinctionem 14 usque ad distinctionem 17, in quibus Magister agit de temporali missione et donatione Spiritus Sancti per gratiam, quero utrum ad hoc quod viator fiat noviter iustus et Deo carus requiratur nova caritatis et gratie supernaturalis infusio. Quod non, quia voluntas creata ex sua libertate potest hominem non prius amicum acceptare noviter tamquam gratum et dilectum absque mutatione vel acquisitione alicuius in illo, igitur voluntas Dei omnipotens et eque libera. Contra: sic esse album ad albedinem, sic esse carum ad caritatem, et esse iustum ad iustitiam, et esse gratum ad gratiam. Sed impossibile est aliquid fieri noviter album sine nova albedinis receptione, igitur.

Notandum quod nomine caritatis et gratie intelligitur hic quedam ut informans animam quem est habitus supernaturalis secundum quam habitualiter diligitur Deus super omnia ordinate de qua habetur habetur extra, De summa trinitate et fide, capitulo c. fidei, libro 6, ubi habetur quod talis virtus gratie informantis infunditur parvulis in baptismo, utrum autem Spiritus Sanctus sit vel posset esse dilectio secundum quam formaliter diligimus Deum, videbitur distinctione 17.

Prima conclusio: ad hominem esse iustum et Deo acceptum ad vitam eternam, requiritur habere huiusmodi caritatem secundum leges Dei ordinatas. Probatur per Augustinum 15 De trinitate, capitulo 8, ubi loquens de caritate qua diligimus Deum sic ait: “nullum est illo dono Dei excellentius, solum est quod dividit inter filios regni eterni et filios perditionis eterne”.

Preterea, Apostolus 1 Corinthios 13, “si habuero prophetiam etc.”, quod tractans Augustinum 15 De trinitate, capitulo 18, ait: “dantur et alia per Spiritum Sanctum numera, sed sine caritate nihil prosunt. Si (inquit Apostolus) linguis hominum loquar etc., quantum ergo bonum est sine quo ad vitam eternam neminem tanta bona producunt”.

Preterea, secundum quantitatem et mensuram huius virtutis est quis magis vel minus bonus, Augustinus Enchiridion, 83: “caritas quanto in quocumque maior, tanto melior est in quo est. Cum enim queritur quid sit homo bonus, non queritur quid credat aut quid speret, sed quid amet”. Et Bernardus, super Cantica, sermo 28: “quantitas cuiuscumque anime estimatur de mensura caritatis quam habet, verbi gratia, anima que habet multum caritatis, magna est, que parum parva, que nihil nihil, dicente Apostolo: si caritatem non habuero, nihil sum”.

Preterea, in statu innocentie non poterat homo esse gratus et acceptus ad vitam eternam, nec perficere ad meritum vite eterne, secundum Magistrum, libro 2, distinctione 24, capitulo 1, “sine auxilio gratie supernaturalis”.

Secunda conclusio: “virtus caritatis supernaturaliter a Spiritu Sancto infuse non est forma secundum quam formaliter anima est Deo cara et accepta vel grata. Probatur per illam formam: est homo carus et acceptus Deo, per quam est dilectus a Deo. Sed non est dilectus a Deo formaliter per virtutem caritatis existentis in ipso. Probo, quia per eandem formam formaliter est obiectum dilectum, et voluntas diligens, sicut obiectum est cognitum formaliter per illam formam per quam est cognoscens potentia, que cognoscit illud obiectum. Sed voluntas Dei non est diligens hominem formaliter per aliquid inexistentis homini, sed per sue voluntatis actum, igitur.

Preterea, illud diligitur habitualiter per habitum quod diligitur actualiter per actum per se illius habitus, sed per actum per se et primum virtutis caritatis diligitur Deus ab homine, non homo a Deo, igitur. Unde, hec caritas est virtus habitualis secundum quam habitualiter diligimus Deum summe et propter se, et gratum et carum habemus super omnia. Et consequenter idem habitus dicitur gratia gratum faciens, non quia sit forma secundum quam formaliter quis sit carus et dilectus, sed quia eam formaliter diligimus Deum gratum ut diligendus est, et quia omnis et solus habens illam est Deo carus et gratus. Confirmatur: virtus et habitus fidei infuse ex parte intellectus non est virtus secundum quam Deus credat vel cognoscat, sed secundum quam Deum habitualiter cognoscimus et credimus, igitur consimiliter de virtute caritatis ex parte voluntatis.

Preterea, ad hoc est Augustinus De spiritu et littera, ultra medium, dicens: “cari **-[136b]-** tas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut iustitia Dei dicitur que nos iusti eius munere efficimur, et Dei salus qua nos salvat, et fides Christi qua nos fideles facit”; et ponitur in glossa super illud Romanos 8, “sed accepistis spiritum adoptionis filiorum”, et in fine illius capituli, super illud verbum “neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei”, glossa: “a caritate Dei qua eum diligimus, sequitur caritas ergo Dei hec dicta est virtus qua animi nostri rectissima affectio est”, et sumitur ab Augustino, De moribus ecclesie.

Tertia conclusio: possibile est de potentia Dei absoluta hominem esse Deo carum et acceptum ad vitam eternam sine huius virtute caritatis supernaturalis informantis, et consequenter sine

quocumque dono creato supernaturali informante prius animam viatoris. Probatur: anima in puris naturalibus creata et constituta est susceptiva visionis et fruitionis beatifice, et Deus est sufficiens productivum, igitur potest illi dare beatitudinem circumscripta omni alia qualitate distincta, igitur poterat eam prius sic creatam acceptare ad beatitudinem.

Confirmatur: duabus creaturis rationabilibus creatis in puris naturalibus et equalibus in substantialibus et accidentalibus absolutis posset Deus unam libere ordinare ad vitam eternam, volendo ei conferre beatitudinem pro futuro, et non sic ordinando aliam, quia etiam nulla est causa ex parte predestinati quare ab eterno hunc predestinaverit.

Preterea, beatitudo, scilicet visio et fructio beatifica non dependet ab huiusmodi qualitate et habitu caritatis in aliquo genere cause, sed potius econtra. Ratio enim ideo istum Deus acceptat et ordinat ad beatitudinem, quia Deus enim dedit gratiam, sed ideo dedit gratiam, quia predestinando preordinavit eum ad beatitudinem. Finis enim est primum in intentione.

Preterea, si acceptat habitum caritatis immediate seipso, igitur potest et animam immediate. Preterea, potest dare supernaturaliter gratiam et caritatem sine alio dono supernaturali previo, immo Iohanni Baptiste et Ieremie dedit sine merito antecedente gratiam, et eos preordinavit ad gratiam, igitur pari ratione potest gloriam conferre vel ad eam acceptare sine alio dono accidentali presupposito.

Preterea, posita tali caritate in Petro et circumscripto peccato futuro in eo, aut Deus potest numquam dare Petro beatitudinem, aut non potest non dare pro futuro. Si primum igitur cum ista caritate requiritur aliud donum supernaturale ad hoc quod iste acceptetur ad vitam eternam. Nec hec caritas sufficit sicut adversarii arguunt de ipsa anima. Si secundum, contra: quia nihil est in creatura quod sit necessaria ratio quare voluntas Dei necessitetur conferre isti beatitudinem pro futuro, nihil enim existens nunc in creatura necessitat divinam voluntatem ad producendum extra se beatitudinem formalem pro futuro, et quia Deus pro aliquo tempore potest causare et conservare istum in caritate sine beatitudine, igitur et pro semper res enim absoluta que per aliquod tempus stat sine *b* re absoluta potest et semper stare. Ex his patet quod aliquis potest esse dignus vita eterna sine huiusmodi qualitate vel alia quacumque supernaturaliter infusa anime probatur, quia ille est dignus vita eterna, quem Deus acceptat ad illam. Eo enim ipso quod Deus vult istum secundum dispositionem in qua est habere beatitudinem pro futuro dignum et iustum est quod habeat, quia voluntas Dei divina est prima ratio rectitudinis. Confirmatur: aut

homo dicitur dignus vita eterna, quia Deus libere et gratis acceptat ipsum ad beatitudinem secluso impedimento indispositionis contrarie, et habetur propositum, quia hominis substantiam et animam potest sic ordinare, aut quia talis est tali dispositione quod Deus non potest ei non conferre beatitudinem pro futuro sine iniustitia, si iste perseveret in dispositione in qua est, et hoc est falsum, ut probatum est, nihil enim in creatura necessitat Deum ad agendum extra se pro futuro. Contra: sic esse album ad albedinem et esse scientem ad scientiam, sic esse carum ad caritatem et esse gratum ad gratiam. Sed impossibile est esse album sine albedine, igitur. Secundo, Deus non acceptat aliquem ad vitam eternam, nisi sit dignus vita eterna. Sed non est dignus nisi habeat quo formaliter sit dignus, illud non est aliquid **[137a]** naturale, quia nullus est pure naturaliter dignus vita eterna.

Tertio, nullus est a Deo oditus et per didestationem reprobatus, nisi in eo sit aliquid quo formaliter est odibilis, et quod ex natura rei est odibile peccatum secundum, igitur econtra similiter.

Quarto, Deus nullum hominem secundum dispositionem et statum in quo est acceptat ad beatitudinem, nisi sit iustus, quia nisi iustum sit eum habere beatitudinem, sed nullus est iustus nisi aliquo dono supernaturali, quia ex puris naturalibus sine speciali gratia et dono Dei non est quis iustus.

Quinto, actus hominis sine gratia et caritate et alio dono supernaturali non potest acceptari ad vitam eternam, igitur nec anima. Consequentia patet pari ratione per media partis opposite. Antecedens patet, quia talis actus elicitur ex puris naturalibus. Sed ex puris naturalibus non potest quis mereri vitam eternam vel esse dignus beatitudine, quia hoc est error Pelagii. Confirmatur: principium quo bene et meritorie operans agit non est pura natura vel pure naturale, igitur est supernaturale, sed illud principium quo formaliter operatur meritorie est in ipso. Probatur, quia operatio meritoria est actio hominis et actio immanens, igitur principium quo operatur est forma eius. Nihil enim agit formaliter per principium quod non est ipsum vel forma eius. Probatur iterum, quia operatio meritoria cum sit libera et voluntaria est in potestate hominis, igitur principium quo meritorie agit est forma in ipso, et ita non est precise Spiritus Sanctus assistens. Si dicitur ad hanc quintam rationem principalem, negando antecedens quod actum ex puris naturalibus elicatum potest Deus de potentia absoluta acceptare ad beatitudinem. Sed error Pelagii fuit quod de potentia ordinata et secundum leges ordinatas, ita sit. Contra: ad

illud quod est super naturam et supra facultatem humanam non potest homo attingere per naturam, et ex puris naturalibus. Sed beatifice videre Deum et frui eo, et esse dignum tanto bono est supra facultatem naturalem hominis, igitur. Item, si homo potest naturaliter mereri et esse dignus huiusmodi, igitur homini sic agenti non posset Deus sine iniustitia vel crudelitate non conferre beatitudinem, quia non conferretur ex gratia.

Item, si homo potest ex puris naturalibus mereri beatitudinem et operari bene et meritorie, igitur Deus ponendo leges quod homo non posset sine caritate et huiusmodi donis supernaturalibus derogasset conditioni hominis, et eius potentie naturali, quod est inconveniens.

Sexto principaliter, si Deus non habentem caritatem potest acceptare ad vitam eternam et tamquam dignum habere, igitur habentem potest non acceptare tamquam indignum. Consequentia patet, quia caritas non erit per se ratio necessario acceptationis, sed contingenter et accidentaliter concomitans. Falsitas consequentis probatur primo, quia effectus formalis non separatur a forma existente in subiecto. Sed esse carum est effectus formalis caritatis, et esse gratum gratie.

Secundo, aliquod malum existens in voluntate est necessaria ratio odiendi et reprobandi illam voluntatem a Deo, igitur aliquod bonum est necessaria ratio acceptandi. Antecedens patet quia peccatum necessario displicet Deo et reprobatur ab eo, nec potest ei placere vel esse indifferens, iam enim non esset peccatum, nec habens esset peccator. Consequentia probatur, tum quia si oppositum in opposito, et propositum in proposito. Tum quia natura boni est **[137b]** prestantior quam natura mali, secundum Dionysium De divinis nominibus.

Tertio, odium Dei existens in voluntate est necessaria ratio reprobandi et detestandi, alioquin posset esse licitum, et consequenter preceptum vel consultum et meritorium. Et consequenter nihil esset ex se malum, quin posset esse non malum et recte diligibile, igitur econtra.

Quarto, voluntas necessario recta non potest non diligere actum rectum et virtuosum, et consequenter virtutem. Sed caritas est per se et prima virtus, et eius per se actus est rectus et virtuosus. Deus autem secundum voluntatem est necessario rectus et diligibilis, et acceptat unumquodque prout acceptabile est et diligibile.

Quinto, non magis necessitatur Deus ad diligendum a quidditate lapidis, quam a caritate, que est virtus et ratio perfectionis simpliciter. Sed Deus necessario complacet in natura lapidis, alioquin non conservaret eam, Sapientie 2, “diligis omnia que sunt, et nihil odisti eorumque fecisti”.

Sexto, sequitur quod frustra et sine ratione ponitur caritas esse in omni acceptato, et de esse omni non acceptato, et quod caritas est impertinens ad acceptationem sicut vel fides vel spes. Consequens est falsum, quia Deus et natura nihil faciunt frustra. Consequentia patet, ex quo enim caritas non est necessaria ratio acceptandi personam, nec requiritur ad acceptationem. Sed potest habens non acceptari, et non habens acceptari videtur respicere per accidens acceptationem, et esse impertinens, sicut albedo vel scientia logice. Queritur igitur propter quid daretur caritas ut signum proprium distinctivum iustorum ab iniustis, et amicorum ab inimicis.

Ad primum, negatur assumptum, quia ut supra patet. Caritas habitualis in anima non est forma secundum quam formaliter anima est dilecta a Deo, sed secundum quam formaliter Deum habitualiter diligit, et habet carum, et caritative diligit et gratis et ordinate.

Ad secundum, si intelligitur nisi si prius dignus dignitate precedente in eo formaliter quasi causa et ratione illius acceptationis non est necessarium, si intelligitur nisi sit dignus consequenter vel concomitanter, conceditur. Sed illud quo est dignus non necessarium est esse qualitatem creatam mediam inter essentiam anime et voluntatem Dei, sed illud est divina voluntas cum essentia anime. Cum enim voluntas divina sit prima ratio et regula rectitudinis eo ipso quod acceptat et ordinat istum secundum dispositionem in qua est ad beatitudinem futuram, iste est dignus habere illam, quia Deus dando vel accipiendo dignificat, sic etiam potest dare gratiam alicui, licet antedecenter non esset dignus per aliam virtutem preexistentem in eo, tamquam per se causam illius donationis gratie.

Ad tertium, accipiendo detestari et reprobare pro deputatione ad miseriam pene infernalis. Negatur antedecens, quia duobus creatis et constitutis in puris naturalibus Deus posset isti postea conferre beatitudinem, et alterum mittere in penam Gehenne, sine accidente preexistente in eo ut causa. Si autem odire et reprobare intelligitur, quia adiudicetur difforme divinis ordinationibus preceptivis antedecenter et voluntas odit illud tamquam tale. Negatur consequentia, licet enim aliqua creatura rationalis posset sic odiri et reprobari, absque qualitate in ea, quia transeunte actu peccandi oditur qui peccavit, licet habitus sit deletus vel remissus.

Ille enim habitus non est per se ratio reprobationis, quia staret cum gratia in homine converso. Sic etiam parvulum non baptizatum reprobatur sine qualitate positiva in anima eius.

Ad quartum, accipiendum esse iustum proprie et stricte ut solet accipi pro vivere conformiter divinis preceptis [138a] secundum eorum observantiam, maior non est necessaria loquendo secundum potentiam Dei absolutam, quia constitutus in puris naturalibus non est iustus, neque iniustus et tamen potest acceptari ad vitam eternam sibi tribuendam sine alicuius rei priori deperditione vel acquisitione in eo. Unde, primus homo creatus est neque iustus, neque iniustus proprie et stricte, sed iustus quia rectus et innocens et immunis a peccato, et sic accipiendum iustum large, negatur minor.

Ad quintum, negatur antecedens secundum potentiam Dei absolutam, actum enim ex puris naturalibus elicitedum et moraliter bonum posset Deus acceptare ad beatitudinem, cum etiam actus precedens caritatem et actus sequens sint eiusdem rationis realiter et physice. Ad probationem, aliquem mereri vitam eternam vel esse dignum ea ex puris naturalibus potest intelligi dupliciter. Uno modo, quia absque hoc quod in eo sint vel preferant alia quam naturalia et absque hoc quod in eo sit aliqua forma supernaturalis infusa, et sic licet ita posse esse secundum leges Dei ordinatas sit error Pelagii, tamen hoc est possibile de potentia Dei absoluta. Alio modo, quia talis est naturaliter et ex sua natura vel ex naturaliter operabilibus, sic dignus acceptatione quod Deum acceptare ipsum ad beatitudinem non est specialiter gratiosum vel gratuitum et liberale. Sed est debitum de rigore iuris et ex natura talis creature, vel ex natura operationum suarum, et sic est impossibile etiam de Dei potentia absoluta, quia Deus mere gratis et speciali gratia et beneficio et dono mere libere et gratuito confert vel promittit beatitudinem, vel ordinat et acceptat ad consequendum, sicut gratis confert primam caritatem vel gratiam. Ad confirmationem, negatur consequentia, licet supernaturale, id est specialiter gratiosum sit quod illud principium operetur meritorie, et quod eius operatio acceptetur ut meritum vite eterne. Et licet principium quo formaliter operatur sit in ipso, tamen principium quo acceptatur est voluntas divina gratis acceptans. Responsio ibi posita conceditur in sensu predicto. Ad primam improbationem, probatur solum quod homo non potest effective sibi dare beatitudinem, vel quod non potest ex suis naturalibus facere quod sua actio sit meritoria, sed hoc fit ex gratuita Dei donatione et bonitate, tamen actio sic gratis acceptata potest elici ex principiis naturalibus sine alio dono accidentali supernaturaliter infuso, et inexistente ante actum. Per idem patet ad alia.

Ad sextum, conceditur consequens accipiendo indignum negative, quia non dignum et semper intelligendo de potentia absoluta. Caritas enim non est forma secundum quam formaliter est iste dilectus a Deo, nec dat ei formaliter hanc denominationem. Et quia hunc existentem in caritate usque ad mortem posset in sine anihilare, vel perpetue pene subiicere, vel perpetuo sic conservare.

Ad primam improbationem consequentis, patet ex dictis. Ad secundam, si antecedens intelligitur quod aliquod positivum sit in anima quod sit necessaria ratio reprobandi illam, aut quod Deus non posset reprobare animam, nisi in ea sit aliquod ens ratione cuius per se est reprobanda, negatur, ut patet supra, ideo ratio posset reduci ad oppositum. Si vero antecedens intelligatur quod si voluntas sit mala, non est possibile quin a Deo reprobetur, negatur consequentia. Ratio enim mali et ratio difformitatis ad divinam voluntatem ut primam regulam rectitudinis secundum ordinationes preceptivas, et hoc est esse reprobatum a divina voluntate. Ex hoc autem non sequitur quod aliquid existens in anima necessitet divinam voluntatem ad conferendum illi anime beatitudinem pro futuro, aut etiam approbando id tamquam meritum vite eterne.

Ad tertiam, negatur antecedens, quia potest esse in furioso furia quam incurrit sine culpa, ne - **[138b]**- gatur etiam consequentia.

Ad quartam, si intelligatur de dilectione acceptationis ad beatitudinem, ut premium reddendum, negatur maior. Si de dilectione approbativa alicuius tamquam boni et conformis divine voluntati, non sequitur intentum.

Ad quintam, si intelligatur de dilectione generalis complacentie et approbationis secundum quam Deus approbat et complacet in operationibus sue dispositioni et administrationi conformibus, sic conceditur quod secundum necessitatem consequentie necessitatur diligere caritatem, dum est sicut et omnem entitatem cuius est per se causa, sed de tali dilectione, non intelligitur presens propositum. Si vero intelligitur de dilectione specialis approbationis et acceptationis ad premium vite eterne, sic negatur maior, quia difformiter accipitur diligere respectu lapidis, et respectu caritatis.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem, dicendum quod conveniens est omnem amicum Dei habere virtutem excellentem per quam sit iustus et bonus, et que sit decor et ornatus spiritualis anime, conveniens etiam est quod amici ab inimicis distinguantur aliquo signo et

dono, et quod illud donum et signum proprium et distinctivum sit summe pulchrum et nobile inter ornatus spirituales anime viatoris, nunc autem, sicut in via nullus est actus anime nobilior secundum genus quam dilectio Dei ordinata ut nobilior operatio respectu nobilissimi obiecti. Ita inter perfectiones anime habituales et virtuosos habitus non videtur nobilior habitus virtuosus quam habitus virtuosus quo diligitur habitualiter Deus ordinate, ille autem est caritas. Et licet aliquis habitus inclinans per se in actus dilectionis divine possit naturaliter acquiri, tamen nullus talis est tante nobilitatis et perfectionis sicut habitus talis supernaturaliter solum a Deo causabilis. Nulla igitur forma secundum genus potuit esse convenientior decor et ornatus anime viatoris, nec convenientius distinctivum amicorum et iustorum ab inimicis et iniustus quam caritas ista de qua est ad propositum, ipsa enim est habitus supernaturaliter infusus, que est virtus cuius per se actus est diligere Deum ordinate et consequenter alia in Deum ordinate.

Quarta conclusio inquirenda, an homo prius peccator posset fieri iustus et Deo carus sine nova receptione caritatis vel alterius doni supernaturalis et generaliter sine illius voluntatis mutatione nova reali per alicuius forme acquisitionem vel deperditionem. Et primo arguitur quod sic, quia homo ex libertate sue voluntatis potest alteri offensam dimittere et acceptum noviter habere sine reali mutatione in anima illius alterius, igitur et Deus hoc potest, quia est eque potens, eque liber et eque misericors. Confirmatur, quia actus divine voluntatis est infinitus et illimitatus, equivalens pluribus actibus nostris finitis, igitur si possum per varios actus successive odire et reprobare *b*, et diligere et acceptare sine reali mutatione in *b*, sequitur quod hoc potest Deus per unicum actum infinitum. Confirmatur, quia per nihil inexistens formaliter creature est Deus diligens vel odiens, approbans vel reprobans, sed per suum velle, igitur ad variam denominationem huiusmodi pro diversis temporibus, non per se exigitur varietas formarum in obiecto extrinseco. Circumscripto enim omni accidente inherente anime est distinguere inter amicum dilectum a Deo, et inimicum vel non dilectum, ut inimicus dicatur in quo non est deletum peccatum, et in quo manet offensa. Et non inimicus dicatur in quo non est huiusmodi peccatum, igitur circumscripto omni accidente contingit successive de inimico fieri amicum.

[139a] In oppositum arguitur primo: hec propositio ‘Petrus est gratus et carus Deo’ significat res et pro rebus verificatur, igitur, si ad eius verificationem non sufficiunt due res, oportet ponere tertiam. Sed non sufficit Deum esse et Petrum esse, quia illis positus manet hec propositio falsa, igitur requiritur aliqua alia res illa erit gratia, quia nulla alia sufficeret. Confirmatur, pari ratione diceretur quod ad hoc quod anima fiat noviter beata, sufficiunt Deus et anima et noviter fidelis

sine receptione habitus vel actus fidei vel speciei. Secundo, non est transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione reali, ut dicit articulus domini cardinalis. Sed in proposito est transitus contradictionis et non est mutatio realis in Deo, igitur in voluntate creata. Tertio, non est transitus de privatione ad habitum, nec tollitur privatio, nisi per receptionem habitus oppositi. Tollere enim privatione est ponere habitum, sed talis transit a privatione in habitum, quia de iniusto sit iustus. Iniustitia autem est privatio iustitiae secundum Anselmum, igitur non tollitur iniustitia, nisi detur habitus iustitiae oppositus. Si enim nihil inest voluntati de novo formaliter, igitur non minus caret habitu quam prius caruit.

Quarto, tali remittitur culpa et offensa, igitur confertur gratia. Antecedens patet, quia iustificatur noviter. Consequentia probatur primo, quia peccatum cum sit iniustitia non est nisi privatio iustitiae secundum Anselmum. Secundo, remissio culpe et iustificatio peccatoris, aut est mutatio seu transitus et versio a positivo in positivum, aut a positivo in privativum, aut a privativo in positivum. Non enim sunt plures species vel modi mutationis, 5 Physicorum, a privativo enim in privativum non est mutatio. Si primum, igitur novum positivum acquiritur et recipitur, illud non erit nisi caritas et gratia. Si tertium, idem; si secundum, contra, quia culpa et malum esset habitus, et iustitia et bonum esset ut privatio, quod est falsum, sed potius econtra.

Confirmatur: aut est mutatio seu versio acquisitiva, et ita terminus formalis ad quem est aliquid positivum et propositum, aut deperditiva, igitur terminus a quo erit aliquid positivum, quod est falsum, quia culpa non est aliquid positivum. Tertio, remissio culpe et infusio gratiae sunt unica mutatio, igitur non remittitur culpa, nisi detur gratia. Antecedens probatur, tum quia si remissio culpe foret, alia mutatio non esset acquisitiva nec deperditiva, nec positiva, nec privativa, tum quia remotio privationis et collatio habitus sunt unica mutatio. Sed peccatum est iniustitia et gratia gratum faciens, seu caritas est iustitia et habitus iustificans, tum si sit due mutationes, aut igitur remissio culpe est prior quam infusio gratiae, aut posterior, aut nullus est ibi ordo inter eas. Si primum, contra quia universaliter necessario sequeretur creatura rationalis accipit gratiam, igitur sibi remittitur culpa, quod est falsum. Patet in angelis conversis ad Deum. Patet etiam de augmento gratiae. Si secundum, propositum, quia remissio culpe presupponit infusionem gratiae. Si tertium, igitur potest quis recipere gratiam sine remissione peccati prioris, et quia introductio termini ad quem et remotio termini a quo sunt vel una mutatio, vel sunt naturaliter habentes ordinem.

Quarto, probatur dicta consequentia, quia si anima istius post remissionem culpe non habet formaliter aliquod quam prius, nec caret formaliter aliquo quod haberet prius, igitur non se habet aliter ad Deum, nec Deus ad ipsam quam prius. Non enim erit alietas nisi per mutationem in Deo vel in anima.

Quinto, consequentia probatur, quia tali melius est quam prius, igitur habet aliquod bonum quod non prius.

Quinto principaliter iste secundum dispositionem prius habitam non erat dignus vita eterna, et nunc secundum dispositionem habitam est dignus, igitur nunc habet aliquam dispositionem quam non prius, per quam est dignus secundum regulas divine iniustitie. Confirmatur: Petrum acceptam ad vitam **[139b]** eternam, aut est Petrum secundum dispositionem quam nunc habet esse dignum vita eterna secundum regulas divine iustitie, seu quod Deus intendit et determinavit ei dare beatitudinem, si stet in dispositione quam habet nunc, et habetur propositum, quia non reprobabitur vel acceptabitur noviter, nisi noviter mutetur secundum talem dispositionem. Aut hoc est Deum velle simpliciter dare isti beatitudinem pro nunc, et patet quod non, quia non statim beatificat, aut hoc est absolute Deum velle dare pro futuro beatitudinem isti et hoc non, tum quia peccator esset acceptus ad vitam eternam et dignus ea, quia verum est quod isti peccatori, qui tamen est de numero electorum, Deus dabit gloriam ab eterno, vult ei conferre beatitudinem pro futuro, tum quia habetur propositum, quia non erit transitus huiusmodi contradictionis ante datione beatitudinis. Propositio enim vera de futuro semper fuit vera, si modo sit vera. Si igitur aliquando fuit verum quod Deus dabit vel vult dare isti beatitudinem pro futuro, numquam erit vel fuit falsum, igitur iste non fiet de accepto et de digno inacceptus et indignus, nec econtra.

Sexto principaliter, actus immutabilis et eternus non transit noviter super aliquod obiectum, nisi obiectum eternum et immutabile illius actus participetur noviter ab illo obiecto super quod noviter transit ille actus immutabilis. Patet, quia aliqua visio eterna, si poneretur, non posset transire de novo, nunc super hoc lignum, nunc super illum lapidem, nisi color eternaliter visus participaretur noviter, nunc ab isto ligno, nunc ab illo lapide. Sed actus divine dilectionis et acceptance transit de novo, nunc super istam animam, nunc super illam, igitur ab hac anima formaliter participatur de novo illud, quod est obiectum immutabile et eternum divine acceptance et dilectionis, illud non est essentia divina, quia illa nulli formaliter inheret, igitur illud est aliquod bonum causabile non substantia, igitur accidens illud dico caritatem et gratiam

iustificantem. Confirmatur: divina volitio non habet ratione oppositorum, vel distinctorum actuum, ut velle et nolle absque distinctione obiectorum super que transit. Non enim est velle et nolle respectu omnino eiusdem, alioquin contradictoria possent verificari sine quacumque distinctione que foret causa et ratio illius veritatis, igitur cum Deus prius odiat istum et nunc diligit ipsum, et cum prius acceptaret istum ad aliquid ad quod nunc non acceptat ipsum tamquam dignum, requiritur aliqua distinctio ex parte obiectorum super que transit nunc et prius, quia actus divine voluntatis manet idem omnimode invariatus formaliter.

Septimo, voluntas necessario recta non acceptat aliquid, nunc quod non prius nec magis acceptat aliquid nunc quam prius, nisi illud sit in se magis acceptandum et magis dignum acceptari quam prius. Patet, quia acceptat illud sicut et quantum illud est acceptabile vel acceptandum, et quia talis voluntas necessario recta non acceptat aliquid quod non prius, nisi intellectus et ratio dictet et iudicet de illo, aliter quam prius vel illud esse acceptandum magis quam prius. Sed hec anima non est magis in se acceptabilis quam prius, si nihil in se formaliter recipit vel perdit, nec intellectus iudicat hanc animam esse nunc magis vel aliter acceptandam quam prius, nisi hec anima aliter se habeat quam prius, etsi nullo modo variatur in se, quia esset iudicium falsum, igitur. Confirmatur: hec anima non potest magis acceptari quam prius seu fieri de minus accepta et minus digna magis accepta et magis digna sine sui intrinseca mutatione, igitur nec de indigna et inaccepta fieri digna et accepta. Antecedens probatur, quia si sit magis digna et accepta quam prius, igitur se habet aliter quam prius, quia magis et minus non sunt cum omnimoda identitate sine alietate et distinctione, sed hec alietas non est in Deo formaliter, igitur in anima. [140a]

Octavo, Deus non est minus potens et liber ad odiendum quam ad diligendum, sed non potest noviter odire animam prius dilectam nisi mutatione facta in anima, et nisi adveniente nova culpa quam Deus per se et immutabiliter reprobatur. Responsio: de potentia Dei ordinata satis notum est hoc esse impossibile. Sed hic queritur secundum potentiam Dei absolutam a quo ad hoc. Prima propositio non est simpliciter impossibile de peccatore et inaccepto fieri iustum et acceptum sine nova infusione spiritualis caritatis vel alterius qualitatis supernaturalis. Probatur, quia actum contritionis et displicentie de peccato preterito ex naturali facultate arbitrii elicatum posset Deus acceptare ad remissionem culpe et pene eterne, sicut ipsum acceptat tamquam meritum de congruo dispositivum et preparativum ad gratiam iustificantem iuxta dictum Augustini, 83 Questionibus, questione 57, “precedit aliquid in peccatoribus quo quamvis nondum sint

iustificati digni, tamen efficiantur iustificatione”. Secunda propositio, sine assertione et sine preiudicio alterius sententiae, possibile est de potentia Dei absoluta de prius peccatore et inaccepto fieri non peccatorem et fieri acceptum sine nova forme acquisitione vel deperditione reali in huiusmodi homine. Probatur: homo potest fieri de non iniusto, iniustus, vel de minus iniusto et odito, magis oditus et iniustus sine mutatione intrinseca ipsius per forme realis acquisitionem vel deperditionem in ipso, igitur econtra. Antecedens probatur, quia creatura rationali creata in puris naturalibus potest a Deo precipi vel concedi habere *a* actum per prima hora, et prohiberi pro secunda. Si, igitur, habeat *a* actum libere elicitum per primam horam, continuando per secundam sine mutatione, fiet iniusta in secunda hora sine tali intrinseca mutatione, et pone quod habeat precise *a* formaliter. Eodem modo, si precipitur habere *a* actum pro secunda hora, non pro prima, et careat *a* per utramque horam, et pone quod nullum actum habeat de eliciendo vel non eliciendo *a*, nec habeat impotentiam invincibilem vel excusationem rationabilem. Eodem modo princeps humanus potest statuere, ut inventus in tali loco, in tali die, in tali hora, sit dignus morte, et non si alio tempore inveniatur, igitur et Deus potest consimiliter statuere et erit eius statutum non minus efficax ad ligandum hominem, igitur si homo in illo loco sine omni mutatione maneat usque ad illam horam, fiet de non digno morte, dignus morte sequitur etc.

Preterea, Socrate sic in naturalibus creato, qui commisit peccatum potest Deus statuere quod si Socrates *b* actum displicentiae de peccato vel aliquem alium actum moraliter bonum eliciat et continuet usque ad finem horem remittetur sibi offensa. Tunc, si Socrates continuet perseveranter illum actum, fiet non peccator sine intrinseca mutatione, quia in medio hore adhuc est peccator et, si post medium hore citra finem hore cessaret ab actu, esset adhuc sub priori peccato et post finem hore erit sine peccato, si continuet.

Item, Deus potest ex sua libertate ordinare quod si alius oret pro Socrate, remittetur culpa Socrati. Item, potest statuere quod, si Socrates presente *b* materia inclinativa ad peccatum perseveret per horam non consentiendo illi, remittetur sibi prior culpa.

Tertio propositio: si Socrates prius peccator et iniustus fiat nunc iustus et acceptus de novo, requiritur aut quod aliqua res sit, vel copuletur alicui, que non esset vel non copularetur si non fiet iustus et acceptus, aut quod aliqua res non sit vel non copuletur cuidam que esset, vel copularetur, si non fieret iustus. Probatur, quia in casibus in quibus probatur secunda propositio,

ita est si enim Socrati remittitur peccatum, quia continuat perseveranter in *a* actu per duas horas, igitur, si non remitteretur sibi culpa, Socrates in aliqua parte illius temporis careret *a* actu, quem tamen ponitur habere si remittitur peccatum, et si Socrates fiat dignus morte ex eo quod invenitur in tali loco pro tali hora, tunc copulatur tali loco cui non copularetur si non fieret dignus morte.

[140b] Ad primum, igitur, in oppositum: si per esse carum et gratum intelligitur acceptatio et ordinatio ad vitam eternam, ad veritatem illius sufficiunt pro presenti due res sic, quod pro presenti non requiruntur plures, secundum Deum et Socrates, scilicet non sufficit quod pro toto tempore futuro ponantur hee due res. Sed requiritur quod pro futuro ponatur beatitudo, quia illa est de futuro implicite, sicut ad veritatem huius Socrates erit, sufficit potentia Dei omnipotentis pro nunc. Et cum dicitur quod iste due res sunt et Socrates non est carus, respondeo: hoc non infert quin pro nunc sufficiant per negationem alterius rei acquire pro nunc. Sed solum infert quod non sufficiunt pro illationem necessariam, sic etiam nec sufficit positio caritatis. Ad confirmationem, negatur una, enim veritas plures res requiritur quam alia, et alicui veritatis novitas magis exigitur mutationem et novitatem rei circa illud de quo et pro quo verificatur predicatio quam alterius veritatis novitas, sicut hoc esse noviter absolute et hoc esse noviter album, et hoc esse noviter in hoc loco. Et hoc esse noviter simile prime veritatis novitas exigit mutationem seu versionem et novitatem essentialem in eo quod noviter est, secunde autem veritatis predictae novitas exigit mutationem secundum accidens formaliter inherens, tertie secundum extrinsecum, quarte nullam mutationem vere realem exigit. Ad secundum potest dici quod, quamvis secundum leges communes ordinatas non fiat transitus contradictionis sine mutatione in aliqua creatura permansiva vel successiva, non tamen est impossibile de potentia Dei absoluta.

Item, quamvis hoc esset impossibile, non ex hoc habetur propositum, quia sufficeret mutatio secundum aliquem actum naturaliter producibilem, vel fieret mutatio in alio qui oraret pro isto peccatore convertendo vel iustificando.

Item, diceretur quod transitus contradictionis non sit sine mutatione, non sic intelligendo quod aliqua res se habeat formaliter et in actu nunc et prius aliter et aliter, sed sic quod aliqua res se habeat aliter quam se haberet, si non fieret ille transitus, nec una pars contradictionis noviter verificatur nunc, nisi res aliter vel non sic se habeat qualiter se haberet, si altera pars verificaretur nunc ut formata ista ‘Petrus est in feria secunda, licet adveniente feria secunda’ verificetur

noviter illa propositio absque hoc quod Socrates se habeat actu in se aliter quam prius, tamen non sic se habet qualiter se haberet aut quo modo se haberet, si illa foret falsa, quia tolleretur esse Petri pro tunc.

Item, pro intellectu illius dicti communis, scilicet quod non sit transitus contradictionis sine mutatione, notandum quod mutatio potest accipi pro versione rei de esse simpliciter ad non esse vel econtra. Alio modo pro acquisitione vel deperditione alicuius forme alicui subiecto informabili per illam. Alio modo pro acquisitione vel deperditione alicuius loci vel rei unibilis, etsi non per informationem, tamen per presentiam et indistantiam localem.

Item, transitus contradictionis potest esse aut secundum predicationem de genere quando, aut secundum predicationem de alio genere. Item, potest esse aut secundum predicationem simpliciter categoricam et de inesse et de presenti, aut potest esse secundum predicationem conditionalem et hypotheticam, vel de possibili, vel de preterito, vel de futuro.

Ad propositum, potest dici quod non est transitus contradictionis secundum predicationem simpliciter categoricam de inesse actu et de presenti et secundum predicationem de alio genere quam de quando sine reali mutatione alicuius rei circa quam intelligitur esse huiusmodi transitus. Si vero sit de genere quando sufficit transitus temporis. Si enim ad transitum contradictionis secundum predicationem de genere qualitatis vel quantitatis, vel ubi sufficit variatio et successio secundum quale, vel quantum, vel secundum locum, **[141a]** ita ad transitum huiusmodi secundum predicationem de genere quando sufficit variatio temporis ut de transitu istarum predicationum ‘*a* est in feria’, secunda ‘*a* est noviter’ vel ‘primo *a* fuit etc’. Si vero sit predicatio de genere quando et de possibili, non de in esse actu, tunc ad transitum de falsitate in veritatem sufficit, interdum potentialis transitus temporis, verbi gratia, ponatur quod omnia quiescant, et se habeant uniformiter secundum tantam durationem, et moram imaginabilem, quantum duraret actualis successio temporis unius diei, et postea incipiat motus celi ut prius et infra illam durationem et moram quietis sint scripte iste propositiones, adhuc citra inchoationem motus possent fluere tot hore, vel tot partes revolutionis celestis, puta 2 vel 3 etc. Et si esset actualis successio, iam fluxissent tot hore, vel tot partes revolutionis celestis etc. Hee predicationes transirent de veritate in falsitatem, vel econtra, sine mutatione reali proprie dicta et sine actuali transitu temporum. Ad propositum, iste propositiones secundum quas in proposito foret transitus sine propria et reali mutatione in anima illius hominis essent implicite partialiter

de genere quando, et si signaretur tempus non solum per compositionem verbalem, sed per extremum propositionis. Patet: si fiat resolutio et expositio. Patet: quia esse iustum vel iniustum esset habere, vel non habere aliquid determinatum pro determinato tempore, pro quo determinate erat preceptum vel prohibitum, et esset conformari vel difformari tali precepto dato de tempore determinato.

Item, diceretur quod articulus supradictus conditus est contra aliquos, qui ponebant quantitatem esse idem cum substantia, et cognitionem et dilectionem esse idem cum anima. Et ideo diceretur quod articulus intelligitur de transitu contradictionis secundum predicationem de predicamento absoluto non pure respectivo specialiter de pure respectivo ad quod, et secundum quod non est motus neque mutatio, et respectu potentie Dei absolute supernaturalis. Et quod hec sit intentio articuli, videtur quia articulus dicit sic “quod sit transitus contradictionis sine reali mutatione cuiuscumque intrinsece, error”; modo ad transitum contradictionis secundum predicationem respectivam non requiritur universaliter mutatio realis intrinseca, ut si *a* transeat de esse noviter ad non esse noviter, vel de non fuisse ad fuisse.

Ad tertium, conceditur maior de privatione et habitu proprie sumptis, quo modo lux et tenebra opponuntur, ut scilicet habitus intelligatur forma positiva in subiecto, et privatio intelligatur carentia, et negatio illius forme in illo subiecto, quamvis aut de facto iustitia moralis vel theologica sit quidam habitus positivus informans animam, non tamen est hoc necessarium absolute. Sed potest aliquis transire de iustitia ad iniustitiam et econtra, sine talis qualitatis habitualis acquisitione vel deperditione, ut si creatura rationalis constituta in puris naturalibus obmittat actum quem Deum habere, vel si continuet actum ultra tempus debitum. Iustitia, igitur, secundum quam talis creaturam foret iusta, esset rectitudo voluntatis, igitur rectitudo esset conformitas voluntatis in essendo et vivendo ad ordinationes divine voluntatis preceptivas vel consultivas. Non, igitur, in proposito est necessario transitus de privatione ad habitum proprie, et stricte sumptum, quia etiam cum aliquis sit de minus iniusto magis iniustus, hoc non est per privationem alicuius gradus vere iustitie preexistentis in eo, quia erat simpliciter privativus vera iustitia.

In proposito, igitur, iustitia et iniustitia se habent in quadam similitudine et proportionem, sicut privatio et habitus, quia dicuntur modo affirmationis et negationis circa idem subiectum secundum respectum ad rectam rationem, et divinam voluntatem sub certis circumstantiis.

Ad quartum, negatur consequentia. Ad primam probationem patet ex dictis. Ad secundam, cum in proposito non foret proprie et realiter mutatio, non esset proprie et realiter versio vel transitus a positivo existente ad positivum noviter generandum et acquirendum, sed quia esset mutatio large, in simili **-[141b]-** tudine, et in proportionem, ita potest dici quod est transitus et versio a positivo vel a privativo in positivum, quia iste non habebit miseriam eternam quam habiturus esset, si non remitteretur culpa, et habebit beatitudinem in futuro, quam non esset habiturus si culpa non remitteretur, et nisi sic contingisset, puta continuatio actus vel oratio alterius etc.

Ad confirmationem, per idem.

Ad tertiam probationem, licet non sint proprie et realiter alia et alia mutatio vel due mutationes, tamen neque sunt proprie una mutatio, quia remissio offense vel culpe non per se et formaliter, nec universaliter est mutatio. Et licet de facto secundum leges positas remissio culpe, et infusio gratie habeantur quasi una mutatio, quia simul sunt quasi corruptio forme contrarie prioris, et generatio posterioris tamen in proposito non foret infusio gratie.

Ad primam et secundam probationem antecedentis patet supra.

Ad tertiam, loquendo secundum potentiam Dei absolutam, et de prioritate naturalis consequentie non convertibilis non est per se ordo inter illa, quia potest gratia infundi absque hoc quod remittatur culpa, quia non preerat, et econtra potest remitti culpa sine infusione gratie, sed secundum leges positas infusio gratie est prior prioritate consequentis non convertibilis, sed remissio culpe est prior prioritate reducibili ad prioritatem causalitatis materialis dispositive. Introductio enim termini ad quem presupponit contrariam indispositionem subiecti removeri. Sicut etiam presupponit subiectum aptum susceptivum.

Ad quartam probationem, accipiendo in consequente, aliter se habere proprie et stricte secundum alietatem acquisitionis et deperditionis alicuius inexistentis conceditur consequens, accipiendo autem large negatur consequentia, quia aliquae circumstantie spectantes ad bonitatem et malitiam, et ad divina precepta, et ad dictamen vivendi verificatur nunc, et non prius vel econtra.

Ad aliam probationem, illud bonum est Deus vel est conformitas in essendo, et vivendo ad divinam voluntatem ut preceptivam, ad hoc autem non requiritur nove forme acquisitio.

Ad quintum principale. Si per dispositionem nunc vel prius habita intelligitur quecumque qualitas vel forma accidentalis subiective inexistens, negatur antecedens. Si vero intelligitur animam esse huiusmodi cuius modi significatur per predicationem cuiuscumque generis, vel animam se habere secundum circumstantias spectantes ad recte, vel non recte vivere, seu se habere conformiter vel difformiter rationi dictanti de circumstantiis boni et mali, conceditur consequens. Sed non sequitur quod habeat formam realiter sibi inherentem.

Ad confirmationem, datur primum membrum accipiendo dispositionem large, scilicet secundo modo.

Ad sextum, negatur maior. Divina enim volitio vult noviter *a* esse vel esse album, et intellectus divinus iudicat noviter sic esse, et tamen res extra non participat noviter per subiectivam informationem aliquod obiectum eternum et immutabile, negatur igitur de actu illimitato ad hoc ut transeat per se supra plura obiecta non super unum per accidens, et ratione alterius de actu, etiam non necessario et naturaliter, sed libere et contingenter sic transeunte super illa obiecta, visio autem albedinis limitata est ad determinatum obiectum, super quod transit per se et naturaliter, super substantias autem per accidens, si autem visio albedinis esset illimitata ad transire super albedinem, et super substantias tamquam per se obiecta, et contingenter et libere transiret nunc super albedinem, nunc super substantiam, tunc de novo posset esse visio substantie, licet non noviter participaret illa substantia albedinem. Falsum etiam est quod aliquod accidens sit necessario obiectum eternum et immutabile actus divini magis quam substantia, vel creatura alia. Si enim prius non diligebat Socratem, ita nec diligebat illam creaturam caritatem, cum nihil esset magis quam Socrates ante creationem. [142a]

Ad confirmationem, non exigitur distinctio obiectorum per se et proprie quasi distinctio rei a re sufficit distinctio vel non identitas secundum aliquam circumstantiam intrinsecam vel extrinsecam, absolutam vel respectivam.

Ad septimum, conceditur maior, quia Deus acceptando vel diligendo aliquem dignificat ipsum et facit dignum acceptance, quia sua voluntas regula est et mensura rectitudinis. Si vero maior intelligatur quod Deus non acceptat aliquem nunc magis quam prius, nisi ille habeat in se prius naturaliter et causaliter aliquid quo sit dignus acceptance, negatur. Nec opus quod intellectum prius naturaliter et causaliter iudicet illum esse dignum acceptance, quia respectu contingentium non prius est iudicium intellectus divini, quam determinatio libera voluntatis, et

quia talis non acceptaretur mere gratis, sed debito iustitie, intellectus tamen divinus iudicat talem esse dignum acceptance, quia voluntas Dei est recta.

Ad confirmationem, negatur antecedens. Ad probationem, quia illud magis et minus non est secundum intentionem gradualem, actualem et presentem, sed est ad maiorem gloriam ordinari, vel secundum plures circumstantias et modos conformari divine ordinationi. Ideo, nec est alietas propria et realis in actu presenti, sed large, quia anima conformiter vivit alicui dictamini quoad aliquas circumstantias, cui non prius.

Ad octavum, si per odire intelligitur deputare ad malum pene, negatur minor. Si intelligitur reprobare tamquam inordinatum et difforme ordinationi preceptive, cui tenebatur conformari, sic conceditur quod non potest noviter odire nisi anima fiat peccatrix noviter. Sed hoc potest sine propria et reali mutatione in ipsa. Ad rationem in principio questionis, quia videtur probare quod Deus posset acceptare peccatorem, et ei offensam dimittere, etiam illo non iustificato nec conformato recte regule magis quam prius, ideo negatur consequentia.

Ad probationem, voluntas creata hoc potest non solum ex pura libertate. Sed quia ipsa est mutabilis et defectibilis. Voluntas autem divina non est huiusmodi, ideo oportet quod ille noviter dilectus transeat de non iusto ad esse iustum, et quod mutatio sit in eo, saltem quoad se habere conformiter dictamini rationis iudicantis, de circumstantiis bene et male vivendi etc.

Supposito quod ad hominem esse dignum vita eterna requiratur secundum leges Dei ordinatas habere aliquam caritatem, et quod ad eternam salutem consequendum necessarium sit habere aliquam caritatem, queritur utrum aliquam caritatem habere sit viatori necessarium ad salutem. Quod sic: illud est necessarium ad salutem sine quo, seu quo circumscripto non consequitur viator salutem, sed sine caritate infusa non consequitur, igitur. Contra: verum est quod nullam caritatem habere est necessarium ad salutem, ergo falsum est quod aliquam caritatem habere sit necessarium ad salutem. Antecedens probatur, quia illa est universalis cuius nulla singularis est falsa. Patet per inductionem, hanc enim caritatem habere non est necessarium ad salutem, et illam caritatem habere non est necessarium ad salutem. Similiter, consequentia patet, quia ille videtur contradictorie sibi invicem tamquam universalis negativa et particularis affirmativa.

In hac questione, ut premissum est, supponitur secundum leges Dei positas quod impossibile sit hominem salvari sine caritate infusa et gratia gratum faciente et quod hec est impossibilis:

Socrates non habens gratiam est dignus vita eterna. Supponitur etiam in ista questione sive sit verum, sive non, quod quacumque latitudine caritatis et gratie data, minor latitudo sufficeret ad salutem, et ad esse iustum, et di **-[142b]-** gnum vita eterna, vel si gratia baptismalis sit determinata ad minima latitudo gratie sufficiens ad salutem supponitur quod quacumque tali gratia singulari signata et demonstrata ipsa non necessario requiritur ad salutem, quin alia similis et equalis sufficeret ad salutem. Et his suppositis, queritur an de virtute sermonis et ex formali significatione propositionis hee propositiones sint vere caritas, vel aliqua caritas est necessaria ad salutem consequendam, vel ad esse dignum salute caritatem vel aliquam caritatem habere requiritur, et est necessarium ad salutem consequendam. Et si dicitur quod facta resolutione et ex positione erit tandem disputatio de nomine et significatione orationis, dicendum quod quamvis propositio vocalis significet ad placitum, tamen propositio mentalis significat naturaliter, et per consequens ex sua per se et naturali significatione est determinate vera, vel determinate falsa. Supposita igitur significatione terminorum vocalium non est in libertate hominis propositionem vocalem significare hoc vel illud, et per consequens esse veram vel falsam. Primo igitur inducentur rationes ad utramque partem. Secundo respondebitur ad quesitum.

Quoad primum, arguitur primo quod hec sit vera et concedenda caritas est necessaria ad salutem vel caritatem habere requiritur, et est necessarium ad dignitatem et consecutionem salutis, quia contradictoria est falsa. Probo: nulla gratia est necessaria ad salutem, igitur non solum sine gratia contingit hominem salvari, et esse dignum salute, sed etiam contingit hominem salvari et esse dignum salute sine gratia. Consequens est falsum, quia supponitur quod necessarium est homini ad salutem habere caritatem, et quod hec non est contingens homo sine gratia est dignus salute, sicut etiam falsum esset dicere contingit Socratem sine oculis esse videntem. Consequentia probatur, tum quia consequens probatur per inductionem, sic tu probas antecedens. Contingit enim hominem salvari sine hac gratia, et contingit hominem salvari sine illa gratia etc. Et ita omnes singulares illius sint vere, et per consequens compossibiles, quia verum est compossibile vero. Tum quia singulares huius universalis. Nulla gratia necessaria est Socrati ad salutem, et singulares huius universalis contingit Socratem sine omni gratia salvari equipollent convertibiliter, ut hec gratia *a* non est necessaria Socrati ad salutem, et contingit Socratem salvari sine *a* gratia, tum quia contingit hominem salvari sine eo quod non est necessarium, nec requisitum ad salutem, et sine omni eo quod est preter necessarium ad salutem. Secundo, nulla

gratia est necessaria ad salutem, igitur nullam gratiam habendo potest quis salvari, vel igitur nulla gratia habita potest quis salvari. Consequens est falsum, tum quia contradictorium est verum, scilicet aliquam gratiam habendo potest quis salvari, tum quia aliquis puta forma posset salvari nullam gratiam habendo, quod est falsum, quia non potest poni in esse sub eadem forma predicati, sicut etiam hec est impossibilis, nullum vel neutrum oculum habendo potest Socrates videre. Consequentia principalis probatur, tum quia consequens probaretur per inductionem, sicut tu probas antecedens, tum quia ad singulares antecedentis sequuntur singulares consequentis, igitur ad illud antecedens sequitur illud consequens per illam regulam. Quidquid antecedit ad antecedens antecedit ad consequens, vel quidquid sequitur ad consequens sequitur ad antecedens, sed propositio universalis sequitur ad suas singulares et e contra, quod autem singulares illius antecedentis inferant singulares illius consequentis patet, quia sequitur hec gratia non est necessaria ad salutem, igitur hanc gratiam non habendo potest quis salvari, et sic de aliis. Tertio, si illa universalis negativa foret vera, hoc maxime videretur propter illam inductionem, quia scilicet quelibet singularis divisim, et seorsum accepta est vera. Sed hoc non valet. Probatur multipliciter. Primo, sequitur quod in sensu compositionis hec propositio esset vera: “omni gratia privatus potest salvari”. Consequentia patet, quia probabitur per inductionem, quelibet enim singularis seorsum accepta erit vera, et in sensu compositionis. Si autem singulares sint vere, igitur et sunt composibiles, quia nullum verum est impossibile vero. Si autem **[143a]** omnes singulares illius universalis sunt vere in sensu compositionis, igitur et universalis est vera in sensu compositionis, ut si singulares istius “omnis homo sedens potest ambulare” forent vere in sensu compositionis, et ipsa universalis similiter esset. Probatur item consequentia, quia singulares istius universalis “nulla gratia est necessaria ad salutem”, et singulares istius “omni gratia privatus potest salvari” in sensu etiam compositionis equipollent et convertuntur, igitur et ille universales equipollent et convertuntur, sed falsitas consequentis probatur, quia hec esset possibilis omni gratia privatus salvatur, vel est dignus salute, cuius oppositum supponitur. Eorum enim que sunt impossibilia de inesse et de actu, si alterum alteri attribuitur per enuntiationem de possibili. Sensus compositionis est falsus, ut album potest esse nigrum. Eodem modo potest argui quod hec esset vera in sensu compositionis: “nullam gratiam habens potest esse dignus vita eterna”. Tertio, ex inductione in singularibus divisim sufficienter infertur talis universalis, sed quod illa universalis sit falsa, falsa in sensu compositionis, probatur ut prius, immo quod sit etiam falsa in sensu divisionis probatur, quia

eius contradictoria est vera, etiam in sensu divisionis, scilicet “aliquam gratiam habens potest esse dignus vita eterna”. Quod etiam ex huiusmodi inductione non infertur talis universalis in sensu divisionis probatur, quia hoc oculo privatus potest videre, et illo oculo privatus potest videre, tamen falsum est quod omni oculo privatus potest videre, vel quod forma nullo oculo habito potest videre etiam in sensu divisionis, quia a privatione que est cecitas non est naturaliter possibilis regressus ad habitum. Ideo, falsum est in sensu etiam divisionis quod homo cecus potest videre, loquendo de potentia naturali. Homo autem cecus et omni oculo privatus, vel nullum oculum habens, convertuntur. Secundo, quod huiusmodi inductio non inferat illam universalem, quia sequitur quod hec est possibilis secundum leges ordinatas: “omni gratia privatus est dignus salute”. Consequens est falsum ut supponitur. Sicut etiam hec non est possibilis: “omni vel utroque oculo privatus est videns”. Consequentia probatur, quia potest fieri similis inductio, quemlibet enim singularis per se accepta est possibilis, quia hec est possibilis hac gratia nunc privatus est dignus vita eterna, et similiter hec est possibilis: “illa gratia nunc privatus etc.”, et sic de singulis. Illa autem propositio universalis esset possibilis pari ratione, cuius omnes singulares seorsum acceptabiles sunt possibles. Si secundum te illa est vera cuius omnes singulares sunt vere, quia non minus ex possibilitate singularium infertur possibilitas illius universalis quam ex veritate veritas.

Tertio, sequitur quod hec est vera de inesse: “omni gratia privatus est dignus beatitudine”. Probo, quia quemlibet singularis seorsum est vera, scilicet hac gratia privatus est dignus beatitudine, illa gratia privatus est dignus salute etc. Sed si illa universalis conceditur, contra. Tum, quia eius contradictoria est vera, scilicet aliqua gratia privatus non est dignus beatitudine. Tum quia nullus omni gratia privatus est dignus beatitudine, patet per inductionem: iste omni gratia privatus non est dignus beatitudine, ille omni gratia privatus etc. Tum, quia sequitur ideo aliquis dignus beatitudine est omni gratia privatus. Tum, quia pari ratione hec esset vera: “omni vel utroque oculo privatus est videns, et cum cecus et omni oculo privatus convertantur, sequitur quod cecus est videns”. Similiter omni gratia privatus et existens in peccato mortali convertantur, igitur hec esset vera: “existens in mortali est dignus beatitudine”, tum quia hec esset vera: “nullam gratiam habens est dignus beatitudine, quia nullam gratiam habens et omni gratia privatus convertuntur, igitur dignus **[143b]** salute est nullam gratiam habens. Quarto, si ex veritate singularium divisim sumptibilium infertur universalis, sequitur quod hec esset vera: “nulla gratia privatus est dignus beatitudine, quia quemlibet singularis per se est vera”, sive singularis sumatur sic: “hac gratia

non privatus est dignus beatitudine”, sive sumatur sic: “hac gratia privatus non est dignus beatitudine”. Quod autem illa universalis negativa sit falsa, patet, quia eius contradictoria est vera, scilicet aliqua gratia privatus est dignus beatitudine, et quia ex illa sequitur, ergo aliquis dignus beatitudine est nulla gratia privatus, igitur est habens omnem gratiam.

Quinto, sequitur quod hec esset vera: “omnem gratiam habens est dignus beatitudine, quia quemlibet singularis per se sumpta est vera”. Quod autem illa sit falsa, patet quia nullus habens omnem gratiam est dignus beatitudine, cum nullus sit habens omnem gratiam.

Sexto, sequitur quod iste sunt simul vere: “omni gratia privatus est dignus beatitudine et omni gratia privatus est indignus beatitudine”, quia utriusque quemlibet singularis est vera. Altera tamen videtur falsa, quia affirmant contraria predicata de eodem subiecto universaliter distributo, immo utraque videtur falsa, quia utriusque contradictoria est vera. Hec enim est vera pro Socrate peccatore: “aliqua gratia privatus non est dignus beatitudine”. Hec etiam propositio “aliqua gratia privatus non est indignus beatitudine” est vera pro Platone existente in caritate. Ipse enim est aliqua gratia privatus, quia alicuius gratie habet privationem. Si enim nullus habet gratie privationem, igitur omnis gratie habet positionem.

Septimo, sequitur quod contrarie sunt simul vere. Probatur de istis: “omni gratia privatus est dignus beatitudine”, et “nulla gratia privatus est dignus beatitudine”, utraque enim probata est esse vera per inductionem. Probatur iterum de istis: “cuiuslibet hominis asinus currit”, et “nullus hominis asinus currit”, omnes enim singulares erunt vere, si quilibet homo habeat duos asinos, quorum unus currat, et alius non currat. Eodem modo de istis cuiuslibet hominis oculus est dexter, et nullius hominis oculus est dexter.

Octavo, sequitur quod utraque pars contradictionis potest esse vera. Probo, quia hec pars contradictionis potest esse vera, et illa pars contradictionis potest esse vera, igitur utraque pars potest esse vera. Quelibet enim singularis est vera, igitur ambe singulares simul sunt vere, quia verum non est impossibile vero. Sed falsitas consequentis probatur, quia cum non sit propositio multiplex secundum compositionem et divisionem ponatur in esse. Dicunt igitur aliqui quod hec universalis: “nulla gratia est necessaria ad salutem” non sufficienter infertur ex hoc quod quolibet singularis determinata seorsum sumpta sit vera, sed ad veritatem illius universalis negative requiritur quod propositio negativa de subiecto copulato ex omnibus individuis sit vera, puta nec hanc gratiam, nec illam, nec illam habere est necessarium ad

salutem, quia ad veritatem particularis vel indefinite affirmative opposite illi universali negative sufficit quod propositio de subiecto disiuncto ex illis individuus sit vera, puta ad veritatem istius: “caritas vel aliqua caritas est necessaria ad salutem” sufficit quod hec sit vera: “hanc gratiam vel illam, vel illam habere est necessarium ad salutem”. Patet in aliis propositionibus in quibus ponitur terminus debiti et obligationis, vel terminus promissionis, vel terminus precepti, vel monitionis. Et contingit quod propositio de tali disiuncto subiecto sit necessaria, et tamen nulla propositio de determinata parte illius subiecti disiuncti sit necessaria, quia verum est quod oculus dexter vel sinister requirit ad videndum, et tamen dexter oculus non requiritur ad videndum, nec sinister requiritur ad videndum. Consimiliter, cum veritate huius: “caritas requiritur et est necessaria ad salutem”, stat quod quelibet determinate sumpta sit non necessario requisita. [144a]

Ad hoc arguitur quarto principaliter per Sacram Scripturam, ad Hebraeos 10, “patientia vobis necessaria est ut facientes Dei voluntatem etc.”, et Luce 10, “Porro unum est necessarium, et loquitur de gloria et beatitudine eterna”, et Genesis 42, “Descendite et emite vobis necessaria, sequitur de terra Canaan venimus ut emamus victui necessaria”.

Quinto, oppositorum immediate sicut unum repugnat saluti, ita et reliquum est necessarium ad salutem. Sed esse in caritate et esse in mortali sunt opposita immediata secundum leges ordinatas pro statu presenti, et esse in mortali repugnat saluti, igitur esse in caritate est necessarium ad salutem.

Sexto, secundum Aristotelem, sicut convertuntur propositiones de inesse, ita convertuntur ille de necessario. Omnis enim propositio vera est convertibilis aequaliter, quia si predicatum dicitur de subiecto, subiectum non negatur universaliter de predicato, nec e contra. Ille igitur de necessario sunt convertibiles, et non per oppositas regulas illis regulis, quibus convertuntur ille de inesse. Sed ista propositio “homini digno vita eterna inest caritas” convertit in istam: “caritas inest homini digno vita eterna”, igitur hec propositio “homini digno vita eterna necessario inest caritas” convertitur in istam: “caritas inest necessario homini digno vita eterna”, sumendo conversam in sensu compositionis, que est vera secundum alios, vel ad hominis salutem necessario requisita est caritas, igitur caritas est requisita necessario ad hominis salutem.

Septimo, aliquod necessario requisitum ad salutem est gratiam habere, igitur aliquam gratiam habere vel aliquod habere gratiam est necessario requisitum ad salutem, et per consequens

alicuius caritatis habitio est necessario requisita ad salutem. Antecedens probatur, quia secundum te necessario requiritur ad salutem aliquam caritatem habere, igitur necessario requisitum ad salutem est aliquam gratiam habere, igitur aliquod necessario requisitum ad salutem est caritatem habere. Consequentia principalis probatur, primo per conversionem particularis affirmative. Secundo, quia si aliquod necessario requisitum ad salutem Socratis est habere caritatem, quero quid sit illud necessarium et necessario requisitum, illud erit aliquod singulariter demonstrabile, iuxta modum arguendi adversariorum, et illud erit quoddam determinatum habere gratiam, igitur quoddam singulare et determinatum habere gratiam necessario est requisitum ad salutem Socratis, quod negas, igitur ex illa quam concedis sequitur illa quam negas. Confirmatur: cum dicis quod necessario requiritur ad salutem Socratis caritas vel caritatem habere, quero pro quo supponit li ‘caritas’ non pro voce, nec pro conceptu. Si pro significato per terminum, et non pro omni singulari, igitur pro aliquo singulari, igitur etsi non omnis, tamen aliqua gratia necessario requiritur ad salutem Socratis.

Octavo, aliquam caritatem debet et tenetur habere Socrates, ad hoc quod sit salvus, igitur aliqua gratia est ei necessaria ad salutem consequendam. Consequentia probatur, quia illud est necessarium quod est debitum de necessitate salutis. Antecedens probatur, quia debet et tenetur aliquam gratiam habere, igitur aliquam gratiam debet et tenetur habere. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, negatur consequentia, sicut non sequitur iste debet aliquem equum vel denarium, igitur aliquem denarium debet, immo nullum denarium debet huiusmodi enim termini habent vim confundendi et immobilitandi terminum communem sequentem. Contra: primo, quia obligatus posset veraciter dicere nihil debeo, nihil promisi, nihil vovi, mihi nihil preceptum est, vel iniunctum vel consultum, nullum bonum facere debeo. Secundo, sequitur quod Socrates solvendo debitum non solvet debitum, et solvendo vel faciendo quod debet, nec solvit [144b] nec facit quod debet. Probo: Socrates non solvit creditorii nisi *b* denarium. Sed *b* denarium non debet secundum te, igitur solvit quod non debet, nec solvit debitum. Sed contra: quia omnis solutio est debiti solutio, dicitur enim relative solutio respectu debiti. Sed illa traditio denarii est solutio, quia non gratis datur, nec est gratuita donatio, igitur est solutio debiti, et quia non esset obligationis et debiti remotio, nec esset quittance et absolutio ab obligatione.

Tertio, Deus puniret hominem in presenti et in futuro pena quam homo non deberet, et cuius non esset debitor, quia punit hac *b* pena et hanc non debet secundum te. Falsitas consequentis

probat, quia puniret hominem pena quam homo non meruit, et cuius non esset reus, et quam non esset dignus.

Quarto, Socrates debet tradere vel solvere denarium, igitur debitum est solvere denarium, igitur aliquod debitum est tradere denarium, igitur per conversionem particularis affirmative aliquod tradere denarium est debitum, igitur aliqua traditio est debita, et tamen non hec singularis, nec illa determinante. Deinde, quod aliqua gratia singularis demonstrata, puta *b* sit necessaria Socrati ad salutem, probatur, quia illa gratia est necessaria Socrati ad salutem quam Socrates tenetur habere sub pena eterne damnationis. Sed *b* caritas est huiusmodi, quia si Socrates accepit *b*, tenetur habere et conservare illam non minus quam non habitam procurare, nec potest eam non habere sine peccato mortali secundum leges positas. Unde, arguitur ad principale hoc modo: sicut ad salutem est necessaria et requiritur gratie habite conservatio, sic non habite procuratio. Sed habita est necessaria, igitur non habita.

In oppositum, arguitur et probatur quod contradictoria sit vera, scilicet nulla caritas est necessaria ad salutem. Primo illa universalis est vera, cuius omnes singulares sunt vere, et nulla singularis est falsa. Sic est igitur. Minor probatur per inductionem, quia nec hec caritas *a* est, necessaria ad salutem, nec ista caritas *b* etc. Hec est possibilis instantia in aliqua singulari sive apud intellectum humanum, sive intellectum angelicum, sive divinum. Probat iterum, quia aut omnes singulares illius universalis sunt vere, et propositum, aut nulle sunt vere, sed omnes false. Et patet quod non: aut alique vere et alique false, et tunc aut unica est tantum falsa, et scribatur hic, aut plures, et sive finite, sive infinite. Igitur due scribantur, igitur ille due. Et patet quod non erit illas dare. Probat iterum: Deus videt omnes singulares illius universalis, et videt omnes esse veras, quia si videt aliquam falsam, scribat illam hic. Sed maior principalis probatur multipliciter: primo, quia aliter perit una species argumentationis, scilicet inductio. Nulla enim inductio valebit virtute forme, si cum veritate omnium singularium stat falsitas universalis. Item, pari facilitate negabitur omnis propositio universalis, quamvis non possit dari instantia in aliqua singulari, et concedantur omnes singulares tamquam vere et compossibiles in veritate, quia verum non est impossibile vero. Item: impossibile est quod universalis sit vera, et omnes eius singulares sint false, igitur pari ratione, econtra impossibile est quod universalis sit falsa. Et omnes eius singulares sint vere. Antecedens patet, quia una sola sufficit singularis falsa ad falsitatem universalis. Consequentia patet, quia non plus repugnat veritas universalis falsitati

unius singularis quam falsitas universalis veritati omnium singularium. Item, universalis affirmativa est vera. Si omnes eius singulares sint vere, igitur pari ratione de universali negativa. Antecedens patet, quia non apparet instantia.

Item, secundum regulas Philosophi, I Priorum, per dici de omni et dici de nullo, universalis negativa est vera, quando nihil est sumere sub subie -[145a]- cto a quo non removeatur predicatum. Sicut universalis affirmativa est vera, quando nihil est sumere sub subiecto de quo non dicatur predicatum. Item, propositio est vera, si est ita in re, sicut ipsa significat. Sed si omnes singulares sint vere, et si nihil est sumere sub subiecto a quo non removeatur predicatum, ita est in re sicut illa negativa significat, quia propositio universalis secundum dici de omni et dici de nullo non significat nisi quod cuilibet singulari sumptibili sub subiecto convenit vel non convenit predicatum. Item, si illa universalis est falsa, igitur particularis ei contradictoria est vera, igitur pro aliqua singulari, igitur aliqua singularis et eius contradictoria sunt simul vere. Vel arguitur sic: si nulla singularis est vera, igitur nulla particularis correspondens est vera, igitur contradictoria illius universalis non est vera, igitur illa universalis est vera.

Secundo principaliter, probatur: illa universalis negativa “sic omnis caritas est preter necessariam ad salutem”, igitur nulla caritas est necessaria ad salutem. Consequentia patet, quia nulla caritas preter necessariam ad salutem est necessaria ad salutem. Antecedens probatur per inductionem, ut supra. Si dicatur quod nulla gratia singularis et signata et determinata et demonstrabilis seorsum et divisim est necessaria ad salutem, cum hoc tamen stat quod absolute et simpliciter caritas est necessaria ad salutem.

Contra: nulla gratia singularis determinata et sigillatim seorsum significabilis et demonstrabilis est necessaria ad salutem. Sed omnis gratia est gratia singularis determinate significabilis et demonstrabilis divisim per intellectum angelicum vel divinum, immo per humanum per Dei speciale auxilium, quia Deus omnes gratias videt distincte et determinate, igitur nulla gratia est necessaria ad salutem.

Tertio, si due universales contrarie sunt simul false, quelibet habet aliquam singularem veram, et aliquam singularem falsam. Sed secundum te iste sunt ambe false: “omnis caritas est necessaria ad salutem” et “nulla caritas est necessaria ad salutem”, igitur cuiuslibet est aliqua singularis vera et aliqua singularis falsa. Sed hoc est falsum, quia non contingit dare aliquam singularem illius universalis affirmative veram, nec aliquam singularem illius universalis

negative falsam. Maior probatur, quia si omnes singulares huius universalis sunt vere, et omnes singulares universalis contrarie sunt false, non est ratio quare ille ambe universales contrarie dicantur simul false magisquam simul vere.

Quarto, terminis prime intentionis supponentibus personaliter. Si universalis sit determinate falsa et particularis vel indefinita sumptibilis sub illa universali sit determinate vera, sequitur quod aliqua singularis est vera, et alia singularis est falsa determinate. Sed hec est falsa: “omnis gratia est necessaria ad salutem”, et per te hec est vera “aliqua gratia est necessaria ad salutem”, igitur erit dare singularem determinate veram, et aliquam singularem determinate falsam, quod est falsum.

Quinto, si due subcontrarie sunt determinate simul vere, sequitur quod alique earum singulares ex eiisdem terminis sunt simul determinate vere. Veritas enim particularis exigit veritatem alicuius singularis, sed hec est determinate vera secundum te “aliqua caritas est necessaria ad salutem”, et eius subcontraria est etiam determinate vera, scilicet aliqua caritas non est necessaria ad salutem, quia sequitur ex singulari determinate vera, igitur, sicut secunda habet singularem determinate veram, ita et prima. Sexto, omne necessarium Socrati ad salutem potest nunc creari in Socrate, et dari Socrati a Deo, et videri ab intellectu angelico. Sed per te aliqua cari **-[145b]-** tas necessaria Socrati ad salutem est necessaria Socrati ad salutem, igitur aliqua caritas necessaria Socrati ad salutem potest nunc a Deo creari in Socrate et videri ab angelo. Conclusio est falsa, quia ponatur in esse, et sequitur quod illa singularis demonstrata est necessaria ad salutem.

Septimo, omnis forma necessaria homini ad salutem inest omnibus existentibus in statu salutis. Sed per te caritas et aliqua caritas est necessaria homini ad salutem, igitur aliqua caritas inest omnibus existentibus in statu salutis. Conclusio est falsa, et non maior, quia si quibusdam hominibus existentibus in statu salutis non inest, igitur non est necessaria illis hominibus ad salutem, igitur non est simpliciter necessaria hominibus ad salutem. Quod autem conclusio sit falsa, probatur, quia omnis forma que inest omnibus existentibus in statu salutis est in pluribus subiectis. Sed aliqua caritas esset huiusmodi, igitur aliqua caritas est in pluribus subiectis etc.

Confirmatur: si aliqua caritas est necessaria homini ad salutem, igitur aliqua caritas est necessaria omni homini ad salutem. Consequentia patet, quia pari ratione sustinebitur et defendetur secunda, sicut prima, licet nulla singularis posset dari pro qua verificetur. Et

contradictoria consequentis dicitur falsa, sicut contradictoria antecedentis, quamvis omnes singulares sint vere. Falsitas consequentis patet, quia necessarium omni homini ad salutem potest inesse simul, immo inest nunc simul omnibus iustis.

Octavo, omnis forma necessaria Socrati ad salutem inest Socrati, quotienscumque Socrates est in statu salutis. Sed per te aliqua caritas est necessaria Socrati ad salutem, igitur aliqua caritas inest Socrati, quotienscumque Socrates est vel fuit in statu salutis. Sed Socrates heri et hodie fuit in statu salutis, igitur aliqua caritas heri fuit et est hodie in Socrate. Consequens est falsum, quia nulla caritas que fuit heri in Socrate est hodie in eo, quia supponitur in tempore medio peccasse mortaliter et supponitur non redire eadem caritas numero.

Nono, si negatur quod nulla caritas est necessaria ad salutem, hoc esset quia male videtur sonare in fide, et videtur equipollere isti vel eam inferre possibile est aliquem salvari sine caritate et gratia. Sed hoc non valet, quia eque male videtur sonare ista indefinita: “caritas non est necessaria ad salutem”, et eque videtur equipollere isti vel eam inferre. Contingit hominem salvari sine caritate, et tamen oportet illam concedere tamquam veram, quia indefinita et particularis sequitur ex singulari, et ad eius veritatem sufficit veritas unius singularis. Decimo, si ista universalis negativa negatur, hoc videtur quia ipsa ad sui veritatem exigit, non solum quod quelibet singularis seorsum et sigillatim accepta sit vera. Sed etiam quod negativa de subiecto copulato ex omnibus individuis caritatis foret vera, puta quod foret verum quod nec hec gratia, nec illa gratia, et sic de singulis est necessaria ad salutem que negaretur. Sed hoc non valet, quia aut hoc non requiritur, aut si requiritur, reperitur in proposito. Quod autem non requiratur, videtur primo, quia ad veritatem universalis affirmative non requiritur veritas propositionis affirmative de subiecto copulato ex omnibus individuis, ut ad veritatem huius “omnis homo est animal” non requiritur quod hic et ille, et ille homo sit animal, quia hoc est falsum, cum nullum animal sit hic et ille, et ille homo, igitur pari ratione de universali negativa.

Secundo, hec est vera “nullus homo est populus vel congregatio hominum”, quia omnes singulares sunt vere et non requiritur veritas talis negative de subiecto copulato, puta hic et ille, et ille homo non sunt populus, quia hoc est falsum.

Ulterius, quamvis illud requireretur, adhuc stat propositum, quia in proposito talis negativa de subiecto copulato est vera [146a], puta nec hec gratia, nec illa, nec illa, nec illa, et sic de singulis est necessaria ad salutem. Sequitur enim ex hypothetica copulativa ex propositionibus

singularibus. Probatur iterum, quia si aliquod predicatum vere negatur de pluribus individuis seorsum sumptis per propositionem hypotheticam copulativam ex pluribus categoricis, et tamen non vere negatur de subiecto copulato composito ex illis individuis, sequitur quod illud predicatum vere affirmatur de composito et aggregato ex illis individuis, ut si hic homo non est populus, nec ille homo est populus etc., et tamen falsum sit quod hic et ille et ille homo non sunt populus etc. Sequitur quod populus vere affirmatur de aggregato ex hoc et illo et illo homine, ergo consimiliter in proposito. Si verum est quod hec gratia non est necessaria ad salutem, et quod illa gratia non est necessaria ad salutem etc., et tamen est falsum quod nec illa, nec illa gratia est necessaria ad salutem, sequitur quod aggregatum ex hac et illa et illa et illa gratia etc. est necessarium ad salutem, quod est falsum magis quam de gratia singulari.

Undecimo, si hec sit vera: “caritas est necessaria ad salutem”, hoc videtur quia ad eius veritatem sufficit quod propositio affirmativa de subiecto disiuncto composito ex individuis caritatis sit vera, puta quod hec vel illa, vel illa caritas est necessaria ad salutem. Sed hoc non valet, primo quia non sufficit. Secundo, quia si sufficit, adhuc habetur propositum. Primum probatur, quia hec esset concedenda: “aliquis homo fuit ab eterno, vel erit in eternum”, sicut ista “ab eterno fuit aliquis homo”, et quod aliqua dies erit post omnem diem, sicut et post omnem diem erit aliqua dies, supposita eternitate mundi. Et quod aliquis homo fuit tota die in foro, sicut tota die fuit in foro aliquis homo. Et quod aliqua magnitudo est minor omni magnitudine, sicut econverso, quia dicetur quod veritas illius propositionis de disiuncto subiecto sufficit, nec oportet dare singulare aliquam.

Item, pari ratione concedendum esset quod aliqua singularis et determinata caritas seorsum divisim et sigillatim significabilis et demonstrabilis est necessaria ad salutem, quia dicetur quod talis de disiuncto subiecto est vera et sufficit. Secundum probatur, talis enim affirmativa de disiuncto subiecto composito ex illis singularibus videtur falsa in proposito, quia contradictoria est vera, scilicet negativa de subiecto copulato composito ex partibus illius subiecti disiuncti. Sed hoc non, nec illa, neque illa gratia est necessaria ad salutem, ut probatum est.

Item, illa affirmativa de disiuncto subiecto infert in proposito hypotheticam disiunctivam, quia licet ad propositionem universalem de predicato disiuncto, non sequatur affirmativa disiunctiva, ut licet non sequatur omnis propositio est vera vel falsa, igitur omnis propositio est vera, vel

omnis propositio est falsa. Tamen, ad propositionem singularem affirmativam de subiecto disiuncto, sequitur disiunctiva ex eisdem terminis. Patet inducendo etc.

Respondeo ad questionem: magis consonat regulis communibus logicorum, quod si sit enuntiatio de actu exercito, hec est vera de virtute sermonis et ex forma enuntiationis: “nulla caritas est necessaria ad salutem consequendam”, et quod particularis vel indefinita contradictoria est falsa in sensu quem facit ex propria et formali significatione. Sed sensus in quo communiter fit et accipitur est verus, secundum quod non est possibile aliquem salvari sine caritate, et quia loquendum est ut plures, et sentiendum ut pauci. Ideo, concedendo universalem illam negativam esse veram, et eius contradictoria esse falsam. Ad primum, in oppositum negatur consequentia, sumendo consequens in sensu compositionis quem sensum solum videtur habere, quia ter **-[146b]-** minus potentie preponitur terminis impossibilibus, sicut dicendo contingit et possibile est hominem sedentem ambulare, tamen in sensu divisionis conceditur quod hominem sine gratia contingit salvari, et quod peccator privatus caritate potest habere gratiam et salutem consequi.

Ad primam probationem consequentie, dicendum quod illa inductio peccat per figuram dictionis, procedendo a pluribus determinatis ad unam, sicut si argueretur sic: materia potest esse sine *a* forma, materia potest esse sine *b* forma etc., ergo materia potest esse sine forma. Vel tu potes esse albus sine *a* albedine, et tu potes esse albus sine *b* albedine etc., igitur tu potes esse albus sine albedine. Vel hoc continuum potest esse divisum in *a* puncto, et potest esse divisum in *b* puncto, et sic de singulis, igitur potest esse divisum in omni puncto. Hec consequentia non valet, et ratio est quia singulares sunt vere pro diversis, immo infinitis potentiis ad infinitos actus, quarum singule sunt ad singulos actus seorsum terminabiles, et quilibet seorsum est ad actum proprium complete terminabilem. Sed in conclusione li ‘potest’ non stat confuse virtute alicuius distributionis affirmative precedentis, ideo si conclusio foret vera, li ‘potest’ staret pro aliqua determinata potentia ad unum, vel quasi ad unum actum simplicem vel aggregatum totalem complete terminabilem. Et hoc requiritur ad eius veritatem, ideo non valet consequentia, quia alia potentia notatur in conclusione ab illis que notantur in premissis singularibus. Consimiliter, potest dici de termino significante actum ad quem intelligitur illa potentia, qui terminus determinat terminum potentie. Non enim tenetur confuse immobiliter in conclusione, sed determinate per consimilem defectum peccat inductio probans quod aliqua magnitudo est

vel potest esse minor omni magnitudine, vel quod aliqua dies erit vel potest esse post omnem diem, et tamen non peccat inductio, que probat quod omni magnitudine est aliqua minor. Consimiliter, in proposito non potest assignari talis defectus in inductione probante illam universalem negativam. Inde, est quod veritas talis propositionis affirmative de possibili que est universalis ex parte predicati infert universalem de inesse, et de actu in eisdem terminis esse possibilem. Sed cum est universalis a parte subiecti, et li ‘potest’ tenetur confuse, tunc non infert illam de inesse et de actu correspondentem esse possibilem, ut veritas huius “in omni signo potest hoc continuum dividi”, non infert hanc esse possibilem “in omni signo hoc continuum est divisum vel dividitur”. Inde, etiam sequitur quod si illa de possibili sit vera, in qua li ‘potest’ tenetur determinate, et precedit distributionem, tunc potest reduci illa potentia ad actum simpliciter, non autem in alio casu, quia si reduceretur ad actum, notaretur quod esset aliqua una potentia ad unum actum simplicem vel compositum totalem perfecte terminabilem. In ista autem universali de possibili non notabatur talis potentia, sed quasi infinite potentie ad infinitos actus, quarum quibusdam reductis ad actum necesse est infinitas non esse reductas, et quarum reductionem necesse est esse permixtam potentie posteriori.

Ad secundam probationem consequentie, licet quelibet singularis huius equipolleat secundum convertentiam alicui singulari sumptibili ex illa secunda propositione, non tamen sequitur illas propositiones esse convertibiles, quia secunda non est proprie propositio universalis, sed singularis. Et si sit universalis ex parte predicati, tamen singulares eius que equipollent singularibus prime non inferunt illam secundam. Hec enim inductio non valet, contingit Socratem esse dignum beatitudine sine *a* gratia et contingit ipsum esse dignum beatitudine sine *b* gratia etc., igitur contingit ipsum esse dignum beatitudine sine omni gratia. Ad tertiam, illud non infert [147a] propositum. Vel etiam illud est falsum. Si sumatur ut equivaleat isti possibile est quod homo salvetur non habens aliquod accidens preter necessarium ad salutem. Hec etiam non potest esse possibilis: “iste homo est dignus salute”, et “omni forma privatur que non est necessaria ad salutem”. Ad secundum, negatur consequentia. Plus enim importat consequens, et plus exigit ad sui veritatem quam antecedens. Exigit enim non solum quod copulativa composita ex categoricis singularibus sit vera. Sed etiam quod vera sit propositio de subiecto copulato ex singularibus omnibus, puta dicendo gratiam non habendo hanc et illam gratiam non habendo. Et sic de singulis, potes tu salvari que est falsa, eodem modo de ista “nullum vel neutrum oculum habendo tu potes videre”. Contra: ita dicetur de ista propositione “nulla gratia est tibi necessaria

ad salutem” quod ad sui veritatem exigit quod neque hec gratia nec illa gratia etc. est necessaria ad salutem, seu quod non hanc gratiam habere, nec illam gratiam habere etc. est tibi necessarium ad salutem. Et cum omnis propositio de necessario contineat virtualiter et implicite unam de impossibili, vel possibili dicitur quod hec negativa “nulla gratia est necessaria ad salutem” denotat quod hanc gratiam et illam et illam etc. non habendo non est impossibile. Sed est possibile te salvari. Potest dici quod iste sunt simpliciter false, cum nulla gratia potest salvari in sensu compositionis nulla gratia habita vel nulla gratiam habendo, tu potes salvari, quia implicite sunt ibi due propositiones, et ita est ibi una copulativa composita ex una universali negativa, et ex una affirmativa, quod declaratur primo, quia hec est una propositio affirmativa singularis, tu potes salvari. Et in illa totali propositione hoc remanet affirmatum, igitur cum illa totalis propositio non sit pure affirmativa et singularis, sequitur quod preter illam singularem affirmativam implicat unam negativam, non singularem. Item, aliqua inductio potest fieri sub illa totali propositione, sed non sit inductio sub subiecto vel predicato huius propositionis, tu potes salvari, igitur sub predicato vel subiecto alterius propositionis que, scilicet implicatum in hoc quod dicitur nullam gratiam habendo seu nulla gratia habita, cum igitur illa propositio sit virtualiter et implicite due propositiones, videtur importare et ad sui veritatem exigere quod, stante veritate huius universalis negative, nullam gratiam habes possibile sit simul stare quod tu es dignus vita eterna. Non sic autem de ista “nulla gratia est necessaria ad salutem”, immo est una propositio universalis negativa, cuius omnes singulares sunt vere, et cuius contradictoria est propositio particularis per se una falsa.

Ad primam probationem consequentie, inductio illa peccaret procedendo a pluribus determinatis ad unum, quia in premissis sumuntur quasi varie potentie singulares et proprie ad varios actus in consequente, autem una potentia ad unum actum simplicem vel compositum perfecte terminabilem, sicut quelibet singularis. In hac enim propositione “nullam gratiam habendo, tu potes salvari”, li ‘potes’ non tenetur confuse et immobiliter, quia non procedit distributio universalis affirmativa, que habeat hanc virtutem, et ideo varietas illius propositionis inferret propositionem universalem negativam de inesse, et de actu correspondentem esse possibilem, et ad sufficientem inductionem illius universalis exigeretur quod omnes singulares de inesse et de actu essent simul possibles et compossibles, sic quod possibile foret omnes illas esse simul veras, et ista magis apparent in propositionibus, in quibus ponitur hoc signum neutrum vel uterque, ut dicendo neutrum oculum habendo vel utroque oculo carendo, tu potes videre, quia

utrumque et neutrum videntur signa magis collectiva quam distributiva, per similem defectum peccat inductio probans hanc de inesse, nullam gratiam habendo vel nulla gratia [147b] habita est quis dignus salute, arguendo sic: hanc gratiam non habendo est quis dignus salute, et illam gratiam non habendo est quis dignus salute, et sic de singulis, igitur nullam gratiam habendo est quis dignus salute.

Ad secundam probationem consequentie, dicendum quod singulares consequentis que sequuntur ad singulares antecedentis non sunt singulares sufficienter inferentes illud consequens. Non enim sequitur “hanc gratiam non habendo tu potest salvari”, et “illam gratiam non habendo etc., ergo nullam gratiam habendo tu potes salvari”. Consequens igitur non est proprie et simpliciter propositio universalis sicut antecedens, sed est propositio composita ex universali et singulari et magis ex forma enuntiandi dicenda est singularis quam universalis et singulares sumptibiles ex illa que convertuntur cum singularibus antecedentis non inferunt illam totalem propositionem compositam. Circa igitur has propositiones de gerundivo et ablativo absoluto nullam albedinem habendo vel nulla albedine habita, Socrates potest esse albus vel potest currere. Sciendum quod talis propositio potest habere sex sensus sive sex exponentes. Primo potest exponi ut equivalet tali copulative “Socrates nullam albedinem habet et potest esse albus vel potest currere”, et sic est vera. Et similiter ista “nullam gratiam habendo Socrates potest esse dignus salute”, et ita in aliis, supposito quod a privatione talis actus posset fieri mutatio ad habitum, ideo in hoc sensu hec est naturaliter falsa, “nullum oculum habendo tu potes videre”.

Secundo modo, ut equivalet temporali, scilicet “quando Socrates nullam albedinem habet, Socrates potest esse albus”, et sic est vera in sensu divisionis, quia eo tempore quo Socrates est omni albedine privatus, ipse habet potentiam ad albedinem recipiendam.

Tertio modo, ut notetur esse possibilis, hec copulativa “Socrates nullam habet albedinem et Socrates est albus”, vel quod possibilis sit propositio de predicato copulato ex duabus partibus de inesse, vel quod vera sit illa de possibili de predicato copulato, puta quod hec sit vera “Socrates potest nullam albedinem habendo esse albus”, et sic est falsa, quia cum predicatum appellet suam formam ad veritatem illius exigeretur quod esset possibilis illa de inesse, stante formaliter omni eo quod sequitur terminum potentie.

Quarto, ut equivalet hypothetice proprie et formaliter conditionali, puta isti “Si Socrates nullam albedinem haberet, Socrates potest esse albus vel posset currere”, et sic est falsa. Sed in hoc

sensu solet dici quod nullo impedimento interveniente sol potest illuminare, et oculus sanus videre vel passivo presente activum potest agere.

Quinto modo, ut equivaleret conditionali non proprie et formaliter conditionali, sed implicite et indirecte, puta isti “quamvis Socrates nullam habet albedinem, Socrates posset esse albus vel esse currens”. Et iste sensus equivaleret isti conditionali negative “non sequitur si nulla albedinem haberet quod non posset esse albus vel currens”, et sic negatur in sensu compositionis. Sed in sensu divisionis conceditur. Sensus autem compositionis magis exprimitur si compositum ex gerundivo et ablativo absoluto ponatur post verbum potentie quasi ex parte predicati, dicendo sic: “Socrates potest esse dignus salute nullam gratiam habendo, et quamvis nullam gratiam haberet”.

Sexto, ut equivaleret cuidam categorice de subiecto composito et modificato, puta isti “Socrates nullam albedinem habens potest esse albus vel potest esse currens”, et sic negatur in sensu compositionis, nec inductio est sufficiens.

Circa huiusmodi propositiones de gerundivis vel ablativis absolutis, dubium que sit contradictoria istius “nullam albedinem habendo, vel nulla albedine habita Socrates potest esse albus, vel potest esse currens”, vel “nullum oculum seu neutrum habendo, tu potes videre”. Si **[148a]** primo, dicitur quod ista “aliquam albedinem habendo Socrates potest esse albus”. Contra, quia contradictorie essent simul vere, patet in istis: “nullum pedem habendo, tu potes videre”, “aliquem pedem habendo, tu potes videre”, quia tu potes videre cum nullo pede et potes videre cum aliquo pede.

Item, contradictorie essent simul false, ut “nullam albedinem habendo, angelus potest esse albus”, “aliquam albedinem habendo, angelus potest esse albus”. Si secundo, dicitur quod contradictoria prime est ista “aliquam albedinem non habendo, Socrates potest esse albus”. Contra: tum quia ambe sunt negative et se habent ut universalis negativa et particularis negativa, tum quia contradictorie essent simul vere, ut in istis “nullum pedem habendo, tu potes videre”, “aliquem pedem non habendo, tu potes videre”. Si tertio, dicitur quod contradictoria prime est ista “aliquam albedinem habendo, Socrates non potest esse albus”. Contra: quia utraque contradictoria esset simul falsa, ut “neutrum oculum habendo, tu potes videre”, et “alterum oculum habendo, tu non potes videre”, vel “nullum pedem habendo, tu vides”, “aliquem pedem habendo, tu non vides”, posito quod simul videas et habeas pedes.

Si quarto, dicitur quod ista “aliquam albedinem non habendo, Socrates non potest esse albus”. Contra: quia est particularis negativa que non contradicit universali negative, vel est composita ex duplici particulari negativa, aut si dicatur quod est affirmativa propter duplicem negationem, sequitur quod equivalet isti “aliquam albedinem habendo Socrates potest esse albus”, que non contradicit prime, ut probatum est.

Item, aliquid idem negatur in utraque, igitur non contradicunt, quia quidquid negat negativa, affirmabat contradictoria. Item, possunt simul esse false, ut “nullum pedem habendo tu vides” et “aliquem pedem non habendo tu non vides”.

Si quinto dicatur quod ista “nonnullam albedinem habendo, Socrates potest esse albus”, contra: quia ‘nonnullus’ et ‘aliquis’ equipollent, igitur revertitur in primum modum. Responsio: ut eius exponens est copulativa, eius contradictoria est disiunctiva composita ex contradictoriis partium copulative, ut contradictoria huius “nullum oculum habendo, tu potes videre”, ut equivalet copulative est ista “aut aliquem oculum habes, aut tu non potes videre”. Si vero sumitur ut equipollet propositioni de extremo copulato, dicendum est proportionabiliter. Si vero sumatur secundum sensum in quo implicite est temporalis, sic contradictoria eius videtur ista “nonnullum oculum habendo, potes videre”, ut li ‘non’ neget totalem propositionem temporalem, et tunc non equivalet isti “aliquem oculum habendo, tu potes videre”. Sed isti “non quando nullum oculum habes, tu potes videre”. Consimiliter, dicendum: si sumatur ut implicite equivalens conditionali proprie vel improprie, vel ut notatur esse possibilis illa copulativa composita ex duplici categorica de inesse, vel quod possibilis sit propositio de copulato predicato ex duabus partibus de inesse. Convenientius tamen assignatur contradictoria explicando sensum, et exponentem cui equivalet, ut autem equivalet isti categorice “nullum oculum habens, potest videre”, queritur que sit eius contradictoria. Si primo, dicitur quod ista “aliquem oculum habens, potest videre”. Contra: quia contradictorie essent simul vere ut “nullam albedinem habens, potest videre”, “aliquam albedinem habens, potest videre”.

Si secundo, dicitur quod ista “aliquem oculum habens, non potest videre”. Contra: contradictorie in casu essent simul vere, ut “nullam albedinem habens, potest currere”, “aliquam albedinem habens, non potest currere” prima est vera pro homine nigro sano, secunda est vera pro albo infirmo vel sine pedibus. Si **[148b]** tertio, dicitur quod ista “aliquem oculum non habens, potest

videre". Contra, quia utraque est equaliter negativa, et videntur se habere ut universalis negativa et particularis negativa.

Item, contradictorie essent simul vere, ut "nullum pedem habens, potest videre", et "aliquem pedem non habens, potest videre".

Si quarto, dicitur quod ista "aliquem oculum non habens, potest videre". Contra: quia est negativa, vel si sit affirmativa equivaleret isti "aliquem oculum habens, potest videre", que non contradicit prime, ut probatum est.

Item, contradictorie essent simul vere, scilicet "nullum pedem habens, videt", "aliquem pedem non habens, non videt".

Si quinto, dicitur quod ista "nullum oculum habens, non potest videre". Contra: quia utraque est universalis negativa. Item, contradictorie essent simul vere, ut "nullum pedem habens, videt", et "nullum pedem habens, non videt". Patet, quia si duorum pedibus carentium, unus sit videns et alius non sit videns, eodem modo potest queri de contradictoria istius "omni gratia privatus, potest esse dignus vita eterna", vel "omni oculo privatus, potest videre".

Si dicitur quod ista "aliquo oculo privatus, non potest videre". Contra: quia contradictorie essent simul vere, ut "omni albedinem privatus, potest videre et videt", et "aliqua albedinem privatus, non videt, nec potest videre", hec enim est vera pro Socrate ceco nigro vel etiam albo.

Si dicitur quod ista "aliquo oculo non privatus, potest videre". Contra: quia contradictorie essent simul vere, ut "omni albedine privatus, currit", et "aliqua albedine non privatus, currit". Ex hoc patet quod contradictoria istius, cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, non est ista, alicuius contradictionis altera pars non est vera, quia utrumque est verum. Similiter, contradictoria istius "cuiuslibet hominis asinus currit" non est ista "alicuius hominis asinus non currit", quia possunt simul esse vere. Prima enim est vera, si quilibet homo habet aliquem asinum currentem. Et secunda est vera, si Socrates habet plures asinos, quorum unus currat et alius non currat. Similiter, de contradictoria istius "cuiuslibet hominis alter oculus est dexter", si dicitur quod contradictoria eius est ista "non cuiuslibet hominis oculus est dexter". Contra: quia contradictorie erunt simul vere, quia prima est vera, sed quod secunda sit vera, arguitur quod sic: sit *b* oculus capre dexter, tunc sic *b* oculus est dexter, *b* oculus est non cuiuslibet hominis alter oculus, igitur non cuiuslibet hominis alter oculus est dexter.

Idem, arguitur: si *b* sit aliquis oculus dexter singularis hominis, similiter sit *b* hec propositio “Socrates est homo”, tunc sic *b* est vera, *b* est non cuiuslibet contradictionis altera pars, igitur non cuiuslibet contradictionis altera pars est vera. Non videtur valere discursus nisi ut conclusio est particularis affirmativa de parte subiecti negativa. Potest dici quod ista propositio “nullum oculum habens, potest videre” vel “nullam albedinem habens, potest videre” est indefinita et affirmativa de parte subiecti universali negativa, ideo eius contradictoria erit ista: “nullum nullam albedinem habens, potest videre” et contradictoria istius “aliquam albedinem non habens, potest videre” est ista “nullum aliquam albedinem non habens, potest videre”, et proportionabiliter de istius contradictoria “omnem albedinem habens, potest videre”. Et contradictoria istius: “nullam albedinem habens, non potest videre” est ista “omne, nullam albedinem habens, potest videre”. Similiter, hec propositio “omni albedine privatus, potest videre” de principali compositione est indefinita affirmativa de parte subiecti universali affirmativa, et de parte negativa implicite, et contradictoria eius est “nullus, omni albedine privatus, potest videre”, et quod non sint simpliciter universales probatur, quia contrarie unives-
-[149a]- sales essent simul vere, et etiam contradictorie. Patet in istis: “nullum vel neutrum pedem habendo, aliquis potest videre”, et “utrumque pedem habendo, potest aliquis videre”, vel “aliquem pedem habendo, potest aliquis videre”, vel “utrumque oculum habendo, potest aliquis audire”, et “neutrum oculum habendo, potest aliquis audire”. Item, contradictoria istius “cuiuslibet contradictionis altera pars vel aliqua pars est vera” est ista “alicuius contradictionis neutra vel nulla vel non altera vel non aliqua pars est vera”. Et contradictoria istius “cuiuslibet hominis alter vel aliquis oculus est dexter” est ista “alicuius hominis neuter vel nullus vel non alter oculus est dexter”.

Item, contradictoria istius “cuiuslibet contradictionis utraque pars est vera” non est ista “alicuius contradictionis utraque pars non est vera”, quia ambe sunt simul false. Sed ista “alicuius contradictionis non utraque pars est vera” et contradictoria istius “cuiuslibet contradictionis altera pars non est vera” non est ista “alicuius contradictionis altera pars est vera”, quia ambe sunt vere. Sed ista “alicuius contradictionis utraque pars est vera”.

Item, contradictoria istius: nullius contradictionis altera pars est vera est ista: “alicuius contradictionis altera pars est vera”, et consimiliter de contradictoria istius “nullius hominis alter oculus est dexter”. Contra: sequitur quod in casu contradictorie essent simul vere. Probo: pone

quod Socrates habeat asinum qui currat, et *b* sit aliquis asinus currens, qui tamen nullius hominis sit, tunc hec est vera “alicuius hominis asinus currit”, et hec erit simul vera “nullius hominis asinus currit”. Probo, quia *b* currit, sed *b* est nullius hominis asinus, ergo nullius hominis asinus currit. Eodem modo probatur, quod iste sunt simul vere: “nullius hominis oculus est dexter” et “alicuius hominis oculus est dexter”. Prima enim probatur, quia sit *b* oculus dexter capre, et potest argui ut prius. Responsio: hec propositio “nullius hominis oculus vel *b* oculus est dexter” potest sumi ut est universalis negativa et ut eius singulares sunt iste “huius hominis nullus oculus est dexter vel non est dexter oculus”, et “illius hominis non est dexter oculus” etc. Et sic est falsa, nec in isto sensu infertur, aliter potest sumi, ut est indefinita vel singularis affirmativa de parte subiecti universaliter negativa, et sic potest esse vera, et sic infertur per dictum syllogismum, sed tunc contradictoria eius non est ista “alicuius hominis oculus est dexter”, sed ista “nullum ens nullius hominis oculus est dexter”, que est falsa. Deinde, dubium que sint singulares sumende sub hac propositione “Nulla gratia habita, aliquis est dignus beatitudine vel potest esse dignus beatitudine”. Dicendum quod non est proprie propositio universalis, sed particularis de parte subiecti universaliter negata. Si tamen sumantur singulares sub illa, non sunt sumende iste “hac gratia habita, aliquis non est dignus beatitudine”, et “illa gratia habita” etc, quia in istis singularibus non negatur singulariter quod in ista universali negabatur universaliter, et in qualibet singulari negatur singulariter vel particulariter, quod in illa universali non negabatur, nec universaliter, nec particulariter. Et quia contingit aliquam talem esse veram, cuius omnes tales singulares sunt false. Probatur: si nullius asinus currat et Socrates sit videns, hec est vera “nullo asino currente, Socrates est videns”, et tamen hee sunt false “hoc asino currente, Socrates non est videns”, “illo asino currente, Socrates non est videns etc”. Sed singulares sumptibiles sub propositione predicta sunt iste: “hac gratia non habita, aliquis viator est dignus beatitudine”, et “illa gratia non habita, aliquis est dignus beatitudine” etc. Et ut inductio valeat, exigitur quod omnes sin **-[149b]-** gulares verificentur pro eodem viatore, et quod li ‘aliquis’ dignus fiet determinate pro eodem in omnibus singularibus, nec aliter proprie sunt singulares illius, nec aliter inferunt illam. Est enim implicite et virtualiter singularis vel particularis, quia eius veritas infert quod Socrates vel aliquis nulla gratia habita est vel potest esse dignus beatitudine etc.

Item, singulares illius “nullam gratiam habens, potest esse dignus vita eterna” non sunt iste “hanc gratiam habens, non potest esse dignus vita eterna” etc., quia aliqua talis est vera, cuius multe tales singulares sunt false, ut hec est vera pro Socrate sedente, vidente sine pedibus:

“nullum pedem habens, potest videre”, et ista similiter “hunc pedem habens, non potest videre” est falsa pro Platone vidente et habente pedes singulares, igitur illius sunt iste “hanc gratiam non habens, est dignus salute”, et “illam gratiam non habens” etc., ita quod li ‘non habens’ stet determinate pro eodem singulari, ad hoc ut ex talibus singularibus inferatur talis universalis. Item, singulares istius “nullius contradictionis altera pars est vera”, “vel nullius hominis aliquis oculus est dexter” non sunt iste: “huius contradictionis altera pars non est vera”, vel “huius hominis aliquis oculus non est dexter”, quia propositionum contrariarum singulares de eodem subiecto contradicunt. Sed singulares huius universalis “cuiuslibet contradictionis altera pars est vera” erit ista “huius contradictionis altera pars est vera”, que non contradicit isti huius contradictionis: “altera pars non est vera, quia sunt simul vere”, huius enim contradictionis altera pars est falsa, non vera, singulares igitur predicte propositionis sunt huius contradictionis “altera vel non aliqua vel nulla vel neutra pars est vera” etc. Eodem modo singulares istius “nullius hominis asinus currit” non sunt iste: “huius hominis asinus non currit”, et “illius hominis asinus non currit etc”, quia contrarie essent simul vere, scilicet iste “cuiuslibet hominis asinus currit”, et “nullius hominis asinus currit”, quia cuiuslibet istarum omnes singulares essent equaliter et uniformiter vere, supposito quod quilibet homo habeat duos asinos, quorum unus currat et non alter. Sed singulares sunt iste “huius hominis non asinus vel nullus asinus currit etc”.

Ad tertiam rationem principalem, negatur minor. Ad primam probationem, negatur consequentia, sicut in sensu compositionis hec est falsa “omni albedine privatus, potest esse albus”. Ad primam probationem consequentie, licet illa propositio de possibili non sit proprie universalis, sed de parte subiecti universali, tamen eo modo quo potest dici universalis, dicendum quod ad inferendum illam de possibili in sensu compositionis non sufficit quod quelibet illarum singularium sit vera, et quod omnes tales singulares de possibili simul sint vere, et per consequens compossibiles in veritate. Sed cum hoc exigitur quod omnes singulares de inesse et de actu correspondentes sint possibles coniuncti et collective, ut sit possibile omnes illas esse simul veras. Sensus enim compositionis circa talem propositionem attenditur penes possibilitatem propositionis universalis de inesse et de actu correspondentis. Possibilitas autem talis universalis propositionis de inesse exigit quod omnes singulares de inesse sint possibles et compossibiles in veritate. Dicendum igitur quod illa inductio probans sensum compositionis peccat per figuram dictionis procedendo a pluribus determinatis ad unum, et mutando suppositionem. Cum enim dicitur hac gratia *a* privatus esse potest dignus salute, si sit vera in

sensu compositionis, li ‘dignus’ non potest stare pro dignitate secundum *a* gratiam, sed secundum alias gratias et per consequens li ‘potest’ non stat pro potentia ad dignitatem pro *a* et secundum *a*, sed secundum aliquam gratiam. Et cum ultra dicitur quod illa gratia *b* [150a] privatus potest esse dignus salute si sit vera in sensu compositionis, li ‘dignus’ non potest stare pro dignitate secundum gratiam *b*, secundum quam nec stabat in priori singulari, et sic de aliis singularibus, et ita in illis singularibus non stat pro dignitate secundum unam gratiam, nec pro potentia ad dignitatem secundum unam gratiam. Ad hoc autem quod illa propositio que infertur foret vera, scilicet “omni gratia privatus, potest esse dignus salute”, exigeretur quod esset vera pro dignitate secundum aliquam unam gratiam, et pro potentia aliqua una determinata ad dignitatem secundum unam gratiam, quia li ‘potest’ non tenetur confuse et immobiliter in tali negativa.

Ex his patet quod in sensu compositionis hec est falsa: “cum nulla gratia vel sine omni gratia, vel sine gratia potest quis salvari”, sicut et ista “aliquis potest salvari sine omni gratia”, nec inductio valet propter causas dictas. Ad aliam probationem consequentie, dictum est supra. Ad secundam probationem minoris, negatur consequentia, sicut nec hec est possibilis: “omni gratia privatus, habet gratiam”. Ad probationem, patet supra. Non enim sufficit quod quelibet singularis de inesse sit possibilis, sed exigitur quod omnes de inesse simul sint posibles et compossibiles collective, ita ut sit possibile quod omnes ille simul sint vere, sumendo singulares pro eodem subiecto privato determinate, ita quod singulares omnes ille equipollean propositioni de subiecto copulato ex omnibus singularibus gratiis in respectu ad idem subiectum demonstratum, aliter enim non sunt proprie singulares illius sufficientes ad inferendum illam, vel diceretur quod hec propositio “omni gratia privatus, est dignus beatitudine” potest accipi, ut est indefinita vel particularis vel etiam singularis de parte subiecti universalis, et tunc li ‘privatus’ supponit determinate pro aliquo singulari ad hoc quod sit vera. Et infert istam, igitur: “aliquis, omni gratia privatus, est dignus beatitudine”, et “aliquis dignus beatitudine est, omni gratia privatus”, aliter potest sumi ut sit universalis, et sic li ‘privatus’ et li ‘dignus’ stant confuse et immobiliter, nec sequitur quod aliquis dignus beatitudine est omni gratia privatus. Similiter, videtur de ista: “omnem gratiam habens, est dignus beatitudine”, ut enim est indefinita est falsa, quia inferret quod aliquis, habens omnem gratiam, est dignus beatitudine, au autem est universalis concederetur ut li ‘habens’ teneatur confuse et immobiliter. Sic autem non videtur

proprie sumi, nec in isto sensu communiter fieri et accipi. Ad tertiam probationem minoris, patet ex dictis.

Ad quartam, negatur consequentia. Ad probationem, illa non est proprie universalis, sed particularis et indefinita de parte subiecti universali negativa, nec ille singulares sufficiunt ad inferendum talem propositionem. In subiecto enim implicatur duplex negatio equivalens uni affirmationi, scilicet isti aliquis habens omnem gratiam vel ad inferendum illam propositionem, requiritur quod omnes iste singulares sint vere pro eodem subiecto singulari demonstrato per li 'privatus', ut dicendo "hac gratia non privatus, est dignus beatitudine", et "illa gratia idem non privatus etc". Si igitur, demonstretur ille qui est peccator, omnes singulares sunt false, si demonstrat hominem iustum una singularis erit falsa. Ad quintum patet ex dictis.

Ad sextum, proprie loquendo ille sunt subcontrarie simul vere, nec ille proprie enuntiant predicata contraria de eodem subiecto distributo, sed de subiecto indefinite sumpto pro diversis, licet quedam pars subiecti sit distributa universaliter. Quod autem additur contradictorias illarum esse simul veras, negatur, quia non debite accipiuntur etc.

Ad septimum, negatur consequentia. Ad primam probationem, utraque illarum est falsa, nec sunt proprie contrarie, sed indefinite, non de eodem omnino subiecto, quia signum est ibi pars subiectum non **[150b]** distributivum principalis subiecti. Ad secundam, hec est falsa: "nullius hominis oculus est dexter", et ista in casu argumenti "nullius hominis asinus currit", nec singulares illius sufficienter inferentes illam accipiuntur debito modo, quia sic accipiende sunt "huius hominis non est aliquis oculus dexter", quia illa equivaleret isti "nullus homo habet aliquem oculum dextrum", ex qua sequitur quod "huius hominis nullus est oculus est dexter".

Ad octavum, negatur consequentia. Ad probationem, inductio peccat modo supradicto, supposito quod li 'utraque' sumatur, ut sit signum collectivum, non ut distributivum divisive. Illa enim ad sui veritatem exigit quod ambe correspondentes de inesse possunt simul esse vere collective, et est processus a pluribus determinatis ad unum, et similis defectus non reperitur in proposito, unde hec consequentia non valet: hic homo non est multitudo hominum, nec ille homo, nec ille etc. igitur ambo vel omnes non sunt multitudo hominum, sed bene sequitur, igitur nullus homo est multitudo hominum.

Ad quartam ratione principalem, dicendum quod sensus in quo fiunt ille propositiones, et quem intendit Scriptura verus est, et vera est Scriptura in sensu litterali quem intendit. Sed non ubique in Scriptura observantur huiusmodi apices et stricte regule artis logice tradite a philosophis, unde Matthaei 11, “ceci vident, surdi audiunt etc.”, nec in communi sermone a doctoribus servantur. Sensus igitur, quem intendunt ille auctoritates, est ille qui est communis utrique parti adversariorum in hac questione.

Ad quintum, proprie loquendo oppositio illa est signorum predicabilium, ideo li ‘esse in caritate’ et ‘esse in peccato’ supponunt simpliciter, et li ‘necessarium’ stat pro necessitate verificationis, et sic conceditur quod esse in caritate est necessarium ad salutem, id est hoc predicabile esse in caritate non potest falsificari de existente in statu salutis, et non est contra propositum. Si quis vero accipiat esse in caritate, et esse in mortali personaliter et significative, sic negatur minor, quia non est aliqua caritas, nec est aliquod peccatum mortale, que sic sint opposita immediate, quod necesse sit Socratem habere illam vel esse in illo peccato aut in maiori, diceretur quod sufficit, ut sicut unum repugnat saluti, ita necessarium est reliquum, licet reliquum non sit necessarium. Et ratio est quia quodlibet peccatum seorsum acceptibile repugnat saluti. Sed non quelibet caritas seorsum acceptibilis est necessaria, nec requiritur ad salutem sic ad esse album omnis nigredo repugnat. Sed non omnis albedo requiritur ad esse album.

Ad sextum, licet propositiones de necessario habeant conversionem sibi convenientem, non tamen eo modo quo accipitur in argumento. Patet in multis exemplis, quia hec propositio “aliquod album est quantum” convertitur in istam “aliquod quantum est album”, et tamen ista: “aliquod album necessario est quantum” non convertitur in istam “aliquod quantum est necessario album”. Similiter, aliquod quantum est contingenter album, et tamen falsum est quod aliquod album sit contingenter quantum.

Item, hec propositio “aliquid habens *b* gradum gratie vel equalem est dignus beatitudine” convertitur in istam: “aliquis dignus beatitudine habet *b* gradum gratie vel equalem”, tamen hec propositio “aliquis habens *b* vel equalem est necessario dignus beatitudine” non convertitur in istam “aliquis dignus beatitudine necessario habet *b* vel equalem”, et intelliguntur hee propositiones de necessitate cum suppositione constantie subiecti. Similiter, “omnis habens quattuor denarios habet duos” convertitur in istam “aliquis habens duos denarios est habens quattuor”, et tamen non sequitur “omnis habens quattuor necessario habet duos”, igitur “aliquis

habens duos necessario habet quattuor”. Dicendum igitur quod [151a] hec propositio “viatori digno salute necessaria est gratia aliqua” vel “ad esse dignum salute necessaria est gratia aliqua habet” sic converti: “illud cui necessaria est gratia aliqua est viator dignus salute”, vel est esse dignum salute. Cum enim dicitur “cuilibet viatori ad salutem necessarium est habere caritatem vel necessaria est caritas aliqua”, quidquid sequitur li ‘cuilibet viatori’ se tenet ex parte predicati. Patet: si sub illa universali fiat syllogismus in prima figura. Terminus etiam necessitatis se tenet ex parte predicati, quia ex parte copule vel extremi. Ideo, debet poni a parte subiecti in convertente.

Ad septimum, negatur consequentia, sumendo propositiones de actu exercito. Ad primam probationem consequentie, non est proprie conversio particularis affirmative, quia licet in forma enuntiandi et in figura loquendi videatur antecedens esse propositio particularis affirmativa, tamen implicite et equivalenter est universalis affirmativa, et li ‘habere gratiam’ stat confuse et immobiliter, quia equivalet isti “verum est nec potest esse falsum supposita constantia subiecti quod omnis viator dignus salute habet gratiam”.

Ad secundam probationem, dicendum quod non contingit dare tale singulare significatum pro quo supponat, quia illa propositio est virtualiter et implicite universalis, non particularis. Si autem fiat transitus de actu exercito ad actum signatum, et assignare velit quis singulare pro quo verificatur, sic dicendum quod istud verum, scilicet “viator habet gratiam” requiritur ad hoc verum “viator est dignus salute”.

Ad confirmationem, li ‘caritas’ stat pro significatis, sed confuse et immobiliter, sicut ista “omnis dignus salute habet caritatem”.

Ad octavum, conceditur responsio ibi posita. Ad primam improbationem, negatur consequentia, quia ille propositiones false sunt in sensu quo fiunt et accipiuntur communiter, quia sensus est “non debeo aliquid, id est non sum debitor, non sum obligatus, non compromisi etc.”, vel potest dici quod in istis “nihil debeo”, “nihil promisi” etc. potest esse negatio debiti et obligationis et promissionis simpliciter et absolute, et sic negentur in hoc sensu solent accipi. Alio modo, non ut negatur obligatio simpliciter, sed ut negetur respectu alicuius determinati singularis obligatio, et ut negatur illud quod affirmatur in ista “aliquod tale ens debeo”, et sic concederentur. Sed non est usus carum in hoc sensu. Ad secundam negatur consequentia, quia solvere debitum est tollere

obligationem per traditionem, et est tradere aliquod eorum ad quorum obligabatur alterum seu aliquod.

Ad probationem consequentie, non sequitur, igitur solvit quod non debet, quia licet *b* denarium determinate non debeat, tamen debet *b* vel *c* vel *d* etc, ut est de disiunctio extremo, vel quia licet non deberet *b* in numero, tamen debet *b* in specie vel in tali genere, et per cuiuslibet traditionem solvitur obligatio et debitum vel simpliciter, vel quoad aliquid, vel potest dici quod solvit determinate et in singulari id quod non in singulari debet, sed quod debet in specie et indeterminate.

Ad tertiam negatur consequentia, quia contingit quod huiusmodi pene est debitor et reus et illius pene similiter, quia hec pena potest a Deo iuste exigi et infligi, tamen sic est illarum debitor, quod non collective sed divisive, ita quod una soluta interdum liberatur ab omnium consimilium obligatione. Negatur etiam consequentia, quia hec propositio iste punitur pena quam non debet, accipitur in hoc sensu iste punitur pena et non debet puniri tali et tanta.

Ad quartam, negatur illa ultima consequentia, nec est proprie conversio particularis affirmative categorice et simpliciter, quia in ista aliquod debitum est tradere denarium, li ‘tradere denarium’ stat confuse et equivalet propositioni de disiuncto predicato. Ideo, habet converti per aliquam de disiuncto subiecto. Sic “aliquod tradere hunc vel tradere illum vel illum etc. denarium est debitum” [151b] vel convertitur sic: “tradere denarium est eorum quorum est debitum ad alterum vel quorum est disiunctive debitum”, vel potest dici quod “illa propositio convertenda est impropria et truncata”, et in forma illa est falsa, quia nullum est debitum quod sit tradere denarium, sed sensus in quo sit verus est et habet resolvi et exponi, ita ut li ‘debitum’ se teneat ex parte predicati sic: “aliquis est debitor tradere denarium”.

Ad ultimum, conceditur conclusio in casu quo post perdicionem illius gratie, et post incursum reatus mortis eterne non potest talis per aliam caritatem resurgere, et fieri dignus salute, aliter maior est falsa. Argumentum etiam non videtur ad intentionem questionis, quia queritur an quocumque viatore demonstrato, verum sit quod aliqua caritas est illi necessaria ad salutem. Ad formam additam, conceditur maior. Si sic accipiatur sicut habite gratie, necessaria est conservatio, sic necessaria est non habite procuratio, aliter negatur.

Ad argumentum in principio questionis, si minor debite sumatur erit falsa, scilicet caritas est illud sine quo non potest quid consequi salutem. Si vero minor accipitur sic, sed sine caritate non potest homo consequi salutem, sic negatur discursus, licet minor sit falsa in sensu divisionis.